DE ARTHRITIDE VERA ASSERTIO, EIVSQVE CVRANDAE METHODVS, ADVERSVS Paracelsistas,

AVTHORE.

TVSSANO DVCRETO

Cabilunense, Medico.


Bib. Jac. d. ac coll. Rom. Soc. Jes.



LVGDVNI,

Apud Bartholomæum Vincentium.

M. D. LXXV.



ERVDITISS. VIRO,
ARTIVM ET MED. DOCT.
Dom. Thomæ Erasto, professori primario in Academia Heidelbergensi, Tußanus Ducretus S.



EST mihi quidem in primis grata veritatis disquisitio T. Eraste, vir eruditißime, est & iucundißima rei melioris inuentio, à quocũque tandem proficiscatur. Sed, mihi crede, tantum abest, vt noua Chymicorum μηχανήματα, mihi videantur hoc nomine digna, vt ea potius non modò inutilia ac penitus absurda existimem, sed etiam monstri simillima, necnon & impia erga augustam medicinę artẽ, tot seculorum felici experientia

comprobatam. Habet enim hac ætate, ſi vnquam aliàs, noſtra hæc medicina ſuos ἀλάστορας, & ſua, καρκινώματα, quibus non modò probi, quorũ maximè intereſt, pro viribus ex officio ſeſe debẽt opponere: ſed quotquot ſunt veritatis amantes. Nec tamẽ poſt te inſignẽ Athletam, & mõſtrorum iſtorum domitorem egregium, nouũ hoc certamen vnquam iniiſſem, niſi ſeſe noua quoque obtuliſſet occaſio. Nam etſi tua excellenti opera immanis illa hydra dudum expugnata, ac etiamnum proſtrata fuit, vt nunquã denuo aſſurrectura videretur: nouum tamen caput nouiſsimis hiſce tẽporibus exeruit, nobis nouum bellum denũtians, non tantùm fornacum ignibus, ſed ſcriptorum etiam telis, quaſi perpetuum claſsicum aduerſus ſa-

cro-

crosanctam Medicinam succineret. Iam quid in hac noua hostium expeditione faciendum sit, vides. Te vnum propugnatorem acerrimum aduocat medicina: opem, inquam, auxiliúmque tuum vnicum implorat, & efflagitat, quoniam huic defendendæ, & à nouorum hostium impetu vindicandæ, te tot nominibus obstrinxisti. Nec est certè quisquam temporibus hisce, qui (quod citra assentationis suspicionem dictum velim) melius illam ab omni iniuria vindicare, fortiúsque hostium quorumuis impetum frangere ac reprimere valeat. Ego tamen interea, quod mihi ex officio incumbere visum est, cum paucis quibusdam aliis veram medendi artem colentibus, præsenti hosti etiam pro virili parte occurrendum pu-

taui. Atque adeò è re nata opposui velites & ferentarios milites, quos habui expeditos, dum tu cataphractos atque triarios paras (si pugnando impares ac minus fortes videamur) quibus aperto marte contendas: finémque tandem imponas pernicioso isti bello, quod nimirum corporibus hominum, crumenis, moribus, vniuersę denique reipubl. literariæ pestem exitiúmque minatur. A rixis ac litibus equidem omnium maximè abhorreo, pacatam ac modestam rerum συζήτησιν vnicè expeto. Sed quoniá iá fuimus lacessiti, ecquid superesset animi palàm facere coacti sumus. Equidem (quoniam nostra fere Medicina est στοχαστική) vtilius commodiúsve inuentum non aspernarer, si nostrorum hominum δευτέραι φροντίδες σοφώτερον aliquid

affer-

afferrent. Sed profectò ſi non aper
ta vi,at occultis certè cuniculis op
pugnatur nobiliſsimæ artis aucto
ritás, grauiſsimo quidẽ totius hu-
mani generis incommodo : cui
nos quaſi cuſtodes muneris noſtri
ratio præfecit. Quare age,mi Era-
ſte, vti ſoles, laboranti medicinæ,
quam potes, affer opem : & quò te
officium, quò te ſingulares dotes
quibus es ornatus, vocant, veni.
Miraberis fortaſſe quorſum hæc,
cùm tibi nõ modò facie incogni-
tus:ſed ne vix quidem tyro habi-
tus:ita te vnicum ſpectatæ virtutis
Triariorum ſummum ac præſtan
tiſsimum ducem compellare au-
ſim. Sed ad te iamdudum, mihi
crede, ſcribere ſtatueramus, vt ti-
bi loco theſeωs de Contagio,& to
tius ſubſtantię morbis, tam doctè
& eleganter exaratæ, & ad nos

transſmiſſæ nonnihil rependeremus: & vt in quo hactenus fuerimus occupati, quominus tibi ſatiſfecerimus intelligas. Enimuero cùm ab iis per quos maximè cauſa medica tuenda fuerat, hodie non modò deſerta, ſed etiam planè oppreſſa foret, ad te vnum confugere, téque obnixè rogare non dubitaui, vt ſubſidiarias cohortes ad nos traiiciendas cures, quò in aduerſarios magno agmine facto, eos omnes obruamus, ac penitus peſſundem9. Habes, vir eruditiſsime, inſtitutę à me iſtius ſcriptionis cauſas, quam ad te mitto, licet de facie incognitum, genere tamē verę cognitionis, id eſt, ingenii fœtu notiſsimum: vt meæ erga te voluntatis & obſeruantiæ publicum ac perpetuum extet monumentum. Vale, vir doctiſsime.

A D



AD LVDOVICVM VILLANOVANVM DOCTOREM medicum, & fratrem chariſsimum, Tuſſani Ducreti

EPIGRAMMA.

Artis Apollineæ tua mens ditiſſima veræ,
Eſt ſimul eximio prædita iudicio.
Sæpe graues medicas noſti componere lites,
Falſáque conſtanti dirimis arbitrio.
Inſanos curas tu corporis arte labores,
Regula quòd vera ſit tibi certa via.
Noſtra tibi mitto, licet hæc opis indiga veſtræ,
Defendi poſſit qua medicina parens.
Eſt genus inuiſum ſuperis, de ſtirpe Gigantum,
Palladis & Phœbi myſtica ſacra petens.
Palladis ô quondam nati, Phœbíque nepotes
Ferte manum celeres: Villanouane tuam.
Sic demum medicis pulchra cum laude colonis
Vber ab exiguo ſemine meſſis erit.

Ite proci, medicæ fœdantes virginis ora:
Oſcula nam poſcit non niſi caſta dari.






Εἰς τὴν Τουσανοῦ βίβλον περὶ ἀρθρίτιδος.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
Πρίν ποτ᾽ ἀοιδιάων εἶπε Μελησιγενής.
Οὔπω δ᾽ ἦν ἀρθρῖτις, ἐὴν οὐκ εἴδεα νούσων,
Ὅσσα βροτοὺς τείρει λυγρὰ νῦν καὶ μελέοις.
Μαιονίδη, τί κ᾽ ἔφης, βίβλον εἰσιδες εἰ τότε τήνδε
Ἄρθρων, ὠδίνων τ᾽ ἄμμιγ᾽ ἀκεστορίην;
Εἶπες ἄν, ὦ Τουσανέ, γόνος τεὸν οὐκ ἀπὸ γαίης,
Οὐρανόθεν δὲ βροτοῖς ἦλθεν ἀλεξίκακος.

Φραγκίσκου τοῦ Πόρτου.



Ἰαίου Ἀντωνίου τοῦ Σαρακηνοῦ ἐπίγραμμα.

Τῇ ἀγρείᾳ πολλοῖς ἀρθρίτιδι ἄθλα πρόσηκει
Γ᾽ δμῆμαι ἢν ἐθέλῃς, τήνδ᾽ ἀνέλιττε βίβλον.
Ὅττι νόσου ἰδέας τε καὶ αἴτια πάντα διδάσκει,
Σήματα, καί κεν ἄκη εὖ μάλα καὶ ἀκριβῶς.
Τὴν κάμε Τουσανὸς, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
Οὕνεκα χεῖν αὐτῷ χρὴ χάριν ἀθάνατον.

Anto-



Antonius Fayus.


Nodoſam podagram negauit ille
Solui poſſe manu medente. ſolui
Et tolli medica manu podagram
Nos at dicimus. Ille nam priorum
Artem viderat, & rudem ac inertem,
Infauſtámque nimis: videmus at nos
Felicem Ducreti manum & peritam,
Artis nec minimo decore claram.



D. M.

Quos oneroſa premit miſerè ac ſine fine podagra
Huc properent: certum nanq; leuamen adeſt.
Non ſecus ac varios fructus pergrata colono
Fœnora ſolerti dat bene cultus ager:
Diuerſis ita fert diuerſa ſolatia morbis
Ducreti medica plenior arte manus.





SIMPLICIS VERAEQVE MEDICINÆ STVdiosis Ducretus, Medicus S.



Citè ac eleganter à singulari quodam artifice dictum est: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. *Id est, magnum id esse, quod bene est: non item bene esse, quod magnum videtur. Hoc ipsum quàm aptè & opportunè nunc vsurpari, ac in temerarium vulgi iudicium obiici possit, nemo adeò rerum ignarus est, qui non diiudicet. Cùm enim plerique rerum diiudicandarum haud ita periti, verborum fortè quorundam non intellectorum nouitate, atque adeò nimia quandoque garrulitate illecti, suam velint proferre sententiam: quod rectum, ac rationi consentaneum*

neum eſt, pernegant, falſum verò & à ratione alienũ quidquid eſt, nimis facilè admittunt, probant, atque adeò nigra (quod aiunt) in candida vertunt. Id etſi cæteris in artibus & ſcientiis quotidiana demonſtret experientia, maximè tamen in arte medica, omnium artium (vt mihi quidem videtur) præſtantiſſima ita comprobatur, vt de eo conqueri iure poſſimus. Nam ars hæc quæ vitæ humanæ, ac publicæ ſalutis veluti cuſtos à Deo opt. max. eſt tradita: quæque tot ſeculis miſeris mortalibus, in expugnandis ac debellandis tot támque ferocib. ſanitatis hoſtibus plurimùm profuit: hac nihilominus tempeſtate ita defœdatur, atque conſpurcatur, vt vix illius nitoris, ac priſtinæ (vt ita dicam) formæ quicquam ſuperſit. Enimuero quamuis non paucis abhinc annis, tot tantíque viri, omnium rerum peritia inſignes, doctrináque ſingulari præditi, ab omni eã

spurcitia vindicauerint, ac vera dogmata à falsis, vtilia præcepta ab inutilib. accuratè distinxerint: non paucos tamē subesse comperias, qui nouo ac prioribus seculis inaudito dogmatis genere, illam nō modò concutere, sed & funditus euertere, ac denique genuinam illius formam, non sine maxima humani generis pernicie, planè deturpare omni studio contendunt. In his hæresiarcha Paracelsus, & quotquot sunt eius asseclæ, nouorum medicorū titulis gloriantes, primas tenent. Quippe reiectis omnino propriis, vsitatis, ac significātib. rerum notis ac vocibus, nouas, insitatas, ac etiamnū absurdas excogitare non sunt veriti, quo facilius merces suas incautæ plebeculæ venditarent. Eiuscemodi obscura illorum vocabula, ipso (vt aiunt) nodo Gordiano longè magis indissolubilia, ac denique nihil planè ad rem pertinentia, quid attinet commemorare,

cùm

cùm iis illorum libri ſint refertiſsimi? Talia enim ſunt innumera, quæ pro aliis iã longo vſu receptis vſurpauêre. vt eſt illud eorum Balſamum, *pro calore innato.* Menſtruum, *pro medicamenti & compoſitionis baſi ac fundamento.* Sulphur, Sal, Tartarum, *pro principiis ac elementis mixtorum, vel pro humoribus ipſis: quos quidem illi nuſquam agnoſcunt. Dum hæc tria ſola, vt rerum omnium, ita & morborum eſſe cauſas, arctè accuratéque defendere nituntur. Solis enim tribus hiſce conſtare omnia volunt, & in hæc ipſa reſolui, quaſi eſſent ortus atque interitus noſtri authores, & cauſæ primariæ: ita vt verbum vix vllum ab illis proferri poſsit, quod ſalſiliginẽ, ſulphur, & tartara non fœteat, Quinetiam ex eo numero ineptiſsimus quidam, dum hanc ipſam de tribus principiis opinionem acerrimè defendere conaretur, vrinam aſſerebat (hac enim tã-*

quam maximè probabili demonſtratione vtebatur: non ex putredine, aut longa concoctione ſalſam euadere: ſed quòd vnum è tribus principiis, ſal nimirum, in ea præpolleret. Addebat & illud, ſerióne an per iocum neſcio, attamen ineptiæ impudentiæque ſuæ ſat euidens argumẽtum, lotium, inquam, ad ſaliendas, condiendáſque dapes, ipſo etiam ſale marino eſſe longè ſuauius, præſtãtius atque ſalubrius. Sed nos ſale noſtro contenti illius lotium, vt memoratu fœdum, odore tetrum, guſtu abominandũ, ita illi & aliis, ſi qui erũt Xenocratis æmuli, intus foríſque pro arbitrio vtendum relinquamus. Tempeſtiuũ enim eſt, vt ad alterũ haud obſcurum Paracelſi diſcipulũ trãſeamus. Hic Paracelſici dogmatis, & tãtæ inſcitiæ, vt egregium fautorem ac patronum ageret: antehac inauditam, ac meritò explodendam de arthritide eiúſque cauſis opinionem in vulgus edidit.

*dit. Siquidem dum in consiliis suis articularis morbi causas recenset, eásque in externas, antecedentes, & coniunctas partitur: antecedentem causam in humoribus consistere audacter negat. Nam longè potius (inquit ille) Tartarus con- "
cretus in ipso ventriculo antecedentis "
causæ locum obtinet: cùm propter ipsius "
frigiditatem immodicam, quæ causa est "
materialis: tum propter caliditatẽ hepa "
tis vel renũ nimiã, quæ efficiens est, à "
qua etiã ipsi calculi in renibꝰ generãtur. "
Deinde subdit, Causa verò coniuncta hu "
mor est ille crassus & tartareꝰ, ad ipsos "
articulos delatꝰ, qui propter acrimoniã "
(sal enim est) tũ propter tensionẽ quã co "
mitatur ligamentorũ cõtinui solutio, ma "
ximos atque adeò tẽsiuos parit dolores. "
Dein paulò pòst subiungit: Curatio hu "
ius affectus, cõsistit in tribꝰ, videlicet in "
debita administratione sex rerũ nõ na "
turaliũ, in euacuatione causæ antecedẽ "*

» tis, & causæ coniunctæ amotione. Atqui
» sola causa antecedens est sal & tarta-
» rum, non autem humores: quod materia
» concreta in articulis indicat. Ergo me-
» dicamentis euacuantibus tartarum illud
» iam factum, & ne generetur prohiben-
» tibus vtendum suadeo. Quod fit soluen-
» do in primam materiam tartarum illud,
» nempe in aquam, & liquorem, vt faci-
» lius per sudores, vel per vrinas expur-
» gari protinus possit. Quæ enim purgãt
» medicamenta, magis excalfaciunt &
» exsiccant, atque adeò tenaciorem, & ad
» curandum difficiliorem reddunt mor-
» bum. Quod enim est tenue magis eua-
» cuatur: quod autem crassum, nec euacua
» tione, nec talibus medicamentis vinci po
» test. Ergo vel solus spiritus vitrioli, pul-
» sus per nouum alembicum modo chymi-
» co, vel spiritus tartari, vel arcanum mu-
» miæ, & multa alia ex Theophrasto do-
» ctissimo medico desumpta medicamenta,

causam

*causam illam antecedentem, tartarum “
videlicet in pristinam possunt reducere “
materiam, viscera interim affecta, vti “
par est, corroborando, atque ita per vri “
nas vel sudores euacuatur causa mor- “
bifica. Tandem verò, vt omnia persequa “
mur, in ablatione causæ coniunctæ vlti- “
mus consistit curandi scopus, nempe in “
topicis, quando vrget dolor, tutáque in “
id medicamenta, oleum ex visco pomorũ “
paratum per putrefactionem: oleáque “
è cera: & si morbus in tophos abiit, ex “
gummis, vt ammoniaco, serapino, & eius “
modi aliis, primas tenẽt. Anodina enim, “
& paregorica medicamenta ex lacte, le “
nientibus, & similibus parata, vix, aut “
nihil prodesse sæpe experti sumus. Non “
enim auferunt causam cõiunctam, quod “
illa alia proculdubio præstant. Hæc “
sunt absurda, adeóque stupiditatis ple-
na totidẽ ferè verbis tradita de arthri-
tide noua dogmata: quibus etiam con-*

sentanea planè sunt, quæ de morbis aliis ab ipsis tradũtur: siue ipsorum naturam & causas, siue etiam accidentia, ac deni que curationem ipsam spectes. Nam & illi suis spiritib. tartareis, vitrioleisque, quosuis morbos, (& siqui sint præter eos) quantũuis insanabiles, vltro citróque curaturos se polliceri non verẽtur. Sed quid inde præstant? suórũ chymico rũ medicamentorũ corpora vehementer alterantium, vsu miseros mortales impu nè excarnificant, tandémque crudelissi mè in intima lethi tartara præcipitant. Nam quid aliud est, quàm corporibus ardentes febres, paralysim, conuulsionẽ incurabilem, neruorum incontinentiam, torporem, hebetationem, & summam siccitatem simul & frigiditatem, exhaustis spiritibus, & calore innato, nec non denique horridum marasmum inuehere? Eorum verò scripta & placita, etsi iam antea perquam eruditè ac firmis ra

tio-

tionibus confutata ſint, à quamplurimis artis medicæ ducibus, maximè à D. Thoma Eraſto, omnium calculis eruditiſsimo, vix vt noua demonſtratione, aut aliis argumẽtis ipſa res egere videatur: nihilominus tamen cùm omnium interſit proſpicere, ne hæreſes nouæ ac fœdæ eiuſcemodi opiniones, vniuerſæ rei literariæ ac humano generi pernicioſæ, temerè ab imperito vulgo recipiãtur: hac mihi oblata ſcribendi occaſione, quæ de arthritide, ac chymicorum medicamentorum vſu ab ipſis falsò traduntur, expendere, quídque de iis verè ſentiendũ ſit, obiter indicare non dubitaui. Etſi verò, vt Arthritidem ita & affectus alios, quorum omnium naturã, cauſas, & accidentia planè ignorant, puta elephantiaſim, inueteratam epilepſiam, cãcrum inſanabilem, ſiccum & confirmatum hydropem curaturos ſe non verentur vltrò citróque ac temerè polliceri. Iſta ta

mẽ aliis discutienda relinquimus. Sat mihi fuerit impræsentiarũ summã istiusmodi hominũ temeritatẽ impudentémque audaciã, in hoc morbi genere patefecisse. Eam dũ excusare volent, obtrudent, sat scio, à nobis sua nõ intelligi: sed quàm rectè, ii viderint, qui nõ nisi firmis principiis, & demonstrationib. ac vera rerũ omnium experientia nitũtur. Quare ne lõgior sim, vos ipsos imploro, vos inquã etiam atque etiam obtestor medicinæ parentis alumni, ac veritatis amantes, vt cœptis meis fauere, mihíque pro sacrosancto Hippocratis iureiurando stare parato adesse dignemini. Etsi verò neque magnum quid, neque fortè adeò vtile præstitisse videbor: mihi tamen satisfactum erit, dummodo consilium nostrum sanis & oculatioribus vestris iudiciis comprobari sensero.



TO-

TOTIVS TRACTA-tus Argumentum.



Vm nulla virtus maior, quàm verborum perſpicuitas, & rerũ diſtributio orationi accidere poſsit: De Arthritide aduerſus Paracelſiſtas dicturi, hunc ordinem ſequi operæpretium duximus: Nempe vt primò ex nominis etymo, & ipſius rei definitione, quid ſit de quo agitur demonſtremus: & quas corporis partes occupet affectus.

Secundò cauſas huius morbi duplices explicemus, videlicet articulorum imbecillitatem, & humoris ſuperflui excrementíve copiam. Et harum vnam ſine altera, morbum efficere non poſſe.

Tertiò varias ac multiplices esse causas, cùm imbecillitatis articulorum, tum humoris superflui, atque eas distribui in προκατάρκτικας seu primitiuas, & internas: quemadmodum omni seculorum diuturnitate, in omnibus morbis à sapientissimis medicis factum est. Has autem paulò prolixius atque fusius explicare visum est, propter Paracelsistarum istorum summã impudentiam, qui nescio quas malè à se inuentas morborum causas, ac absurda sua remedia nobis inuexerunt.

Quartò differentias Arthritidis, ac earum omniũ cuiusque signa, atque symptomata assignemus, quibúsque ex locis fiat humoris influxio.

Postremò tandem generalem, & particularem cuiusque Arthritidis

tidis præcautionem & curationẽ, ex probatiſsimis authoribus depromptam prçſcribemus, reiectis Paracelſiſtarum fucis & inanibus commentis.

Interea excuſabunt Lectores beneuoli, quòd neglecta verborũ elegantia, & ſermonis ornatu, verbis vſitatis, & nemini non notis acquieuimus. Ornari enim res ipſa negat, contenta doceri.





DE ARTHRITIDE VERA ASSERTIO, EIVSque curandæ methodus,

AVTHORE
Tussano Ducreto Cabilunense, Medico.

Arthritis quid. CAP. I.



Rthritis, nomine ducto à parte affecta, (vt ait Gal.) articularis morbus Latinis rectè dici potest. *2. Methodi* Siquidē ἄρθρον, nihil aliud est, quàm naturalis & genuina osium constructio coniunctióque ad motum comparata, scilicet ex alterius osis parte, alteri osi cohærente: *12. De vsu par.*

dum caput,ſiue proceſſus oſsis vnius,in alterius cauitatem inſeritur. Quanquã etiã os ipſum quod inſeritur,ἄρθρον,quod verò cauũ,& in ſe recipit,κοτύλη Hippoc.dicatur.

Qui eiuſmodi articulos occupãt affectus,Arthritidis nomine deſignantur:ita vt ἀρθρῖτις ſit dolor & affectus articulorũ, ab aliqua humoris fluxione in eum excitatus. Habet itaque hic affectus humoris redundantiã,qui affectã occupat articulationẽ. Hac expleta,in omnẽ partẽ ambientẽ diſpergitur, atque hinc neruoſę particulæ diſtendũtur,ex quo dolor ille concitatur.

Cap. de [illegible]ini. Author definitionũ medicinaliũ,atque poſt eum Marcellus, Arthritidẽ inflammationẽ permanẽtem,graues dolores inferentem in articulis, perperã definierũt:quòd is tumor non magis neque frequẽ

tius

tius phlegmones, quã œdematis, aut eryſipelatis, vel ſcirrhi, pro humoris ſcilicet natura & proprietate ex quo fit, ſpeciem præ ſe ferat, vti poſtea dicetur.

In hoc porrò affectu tria ſumma morborũ genera ſpectare licet, partis intẽperaturã, continuitatis ſolutionẽ, & malã cõformationẽ. Quæ ſimul Arthritidi adiũcta, varia ac multiplicia ſymptomata afferre ſolent. Nã etſi ex ipſo nominis etymo, articulũ, qui quidẽ ἀρθρὸν dicitur, Arthritidis ſedẽ eſſe dicamus, vt qui primùm & per ſe eo morbi genere laboret: tamẽ nõ ipſum modò oſsis, quod inſeritur, caput nec alterius oſsis κοτύλη, verumetiã ligamenta, mẽbranæ, tendones, venę, arterię, & quicquid ad articuli ſtructurã ac firmitatẽ natura cõparatũ eſt, afficitur: nõ quidẽ primariò (vt

neque

neque etiá neruos volũtarii motus authores, primario affectu fluxio infestat) sed secundariò, quoniam artuum priùs internodia obsidere eam necesse est.

Sed huiuscemodi partes omnes afficiuntur cõsortii lege, quòd cũ articulis maximũ habeãt consensum: his accedunt & symptomata, pro varia humoris & causarum ex quibus fit Arthritis, proprietate, qualitate, quãtitate, loci affecti natura, fluxionis modo & tempore. Plerumque enim infestant continui dolores, & acerbissimi cruciatus, vigiliæ, anxietates, cibi fastidium, sitis, ructus, cruditates, vomitus, febres, & alia eiusmodi malorum genera.

De causis Arthritidis in genere.
Cap. 2.

Hu-



Vius tã acerbi ſæuí-
que morbi duplices
cauſæ ab omnibus pe
ritis cõſtituuntur: vna
quidẽ influentis humoris nimia re
dundantia. Altera ipſorũ articulo-
rum imbecillitas, quarum neutra
ſeorſim Arthritidẽ facit: ſed vtram
que ſimul cõcurrere neceſſarium
eſt. Etenim quemlibet articulorũ
difficilẽ motũ vel dolorẽ, Arthri-
tidẽ, ſeu articularẽ morbũ impræ-
ſentiarũ non nominamus: ſed eam
duntaxat, quæ cùm humorũ afflu
xu in articulos imbecillitate affe-
ctos ingruit, & inde ortum habet.
Contingit enim ſæpenumero in
maximis ac vehementiſsimis ſicci
tatibus, vel immodica aliqua tum
aeris, tum corporis intemperie, ar-
ticulorum difficiles motus cum a-
cerbiſſimis ſimul doloribus fieri,

qui tamen Arthritidis nomine nõ designantur, vt manifestum est ex Hippocrate: nisi impropriè Arthriticos appellemus eos, qui quomodolibet laborẽt articulorũ morbo atq̃ dolore, siue ob intemperiẽ nudá, siue ob acrẽ aliquẽ humorem ibidem arefactũ. Hos enim Arthriticos propriè non dici testatur Galenus, cõmẽt. Apho. 16. sect. 3. Itémque 2. Epidimiorum, eos qui ex orobi aliorúmque leguminum lõgo vsu genuum dolores cõtraxerãt, nõ Arthríticos, sed Genua dolentes appellauit. Quapropter si propriè ac rectè definiamus, non omnis dolor articulorũ, Arthritis nominabitur, sed is tantũ, qui cũ alicuius humoris aut excrementi influxu concitatur. Siquidẽ quoties humor aliquis in aliquem articulum incumbit, seséque in eius

Aph. 16 sect. 3

spatia

ſpatia,ligamenta, tendones, quoquo modo inſinuat,protinus diſtē dendo, diuellendo, ac denique cō tínuum ſoluendo, eius articuli in quem defluit,morbū creat.Fateor equidem ſiquis affectus eiuſmodi tanquam dolores conſideret, ſym ptomata fortè eſſe (veluti & reliquos dolores)dicturum.Atverò ſi humoris fluxionē ſpectet, ob quā articulus impletur, ac earum partium diſtentionem,quæ illi circū iacent,nō abs re morbum ſiue inflāmationem,ſiue alium quempiā tumorem nominabit. Sic quoque Hippocrates & Galenus appellare non dubitauerunt.De horum affectuū qualitate, origine, fluxionis modo & curatione poſtea dicendū:vbi priùs tamen ſigillatim articulorum imbecillitatis cauſas re cenſuerimus.

Apho. 49. ſect. 6.

De imbecillitate articulorum, & causis tum externis tum internis.

Cap. 3.



Psa porrò articulorũ imbecillitas duobus contingit modis: si quidem vel nobis cõgenita est, vel aliũde accidit, ab iisdem videlicet causis, quæ & humoris fluxioné efficere possunt, tum externis, tum etiã internis. Natiua duplex dicitur: vna quæ accidere solet iis, qui parentibus articulari morbo obnoxiis nati sunt, licet eleganti forma & eximia structura cõpositi. Altera quę virtutis formatricis culpa iis euenit, qui minus aptam & idoneã articulorum fabricã & compagem à natura sortiti sunt.

Primùm itaque hic affect⁹, quasi hereditario iure, illis sæpissimè ac-

accidit, qui patres & auos habuẽrũt Arthriticos, quemadmodum; & in multis aliis affectibus euenire persæpe videmus. Nam seminis ea est natura, vt tale quid actu efficere possit, quale id à quo est excretum. Vnde genitale semen hominis abstractum esse, non temerè à Zenone dictum est, & tanquã animal potentiâ, veluti sulphur potentiâ ignis est. Ergo cùm experiẽtia duce constet, à nephriticis nephriticos, ab elephãticis elephãticos, epilepticis epilepticos vt plurimùm gigni: cur nõ & à podagricis podagricos fieri dicemus? Maximè verò, cùm & ipsi filii parentũ referãt in mẽbris peculiarib. peculiares notas. Ferè etenim simo sunt naso, qui à simis parentibus orti sunt: sicut adunco qui ab aduncis. sunt & qui faciẽ totã, digitos, manus, vo-

cem, habitũ, inceſſúmque parentũ non obſcurè referant. Imò viſum eſt nonnunquam, quum parentes non ſolùm næuos quoſdã, ſed etiã aduentitias quaſdam notas haberẽt, aliqua ſui corporis parte, filios quoque eadem corporis parte eaſdem retuliſſe. Quod & ipſe teſtatur Ariſtot. dum narrat, Chalcedone, cùm pater brachio eſſet compuncto, filium ex eo natum idem retuliſſe, quamuis confuſa nota minúſque explanata. Quis igitur Arthritidem à vitæ primordiis oriri poſſe negabit? ac tanquã primitias paternæ vel maternæ hæreditatis eſſe inficias ibit? Sic authore Hippoc. à morboſis, non modò principibus, ſed etiam aliis quibuſcunque partibus, morboſum genitale ſemen: vt ſanũ à ſanis iiſdem prouenit. Quod quidem virtute magis

Lib. De generat. anim. capit. 17.

gis

gis & poteſtate, quàm mole ipſa nobis intelligendũ venit. Etſi verò genitale ſemen magnã vim habere ad Arthritidis generationẽ, aptitudinémque plurimùm in filios, ac deinceps in poſteros tranſferre, ſatis omnibus conſpicuũ eſt: neque id tamen ſemper, nec quibuſuis contingit. Perſæpe enim viſi ſunt Arthritici, quorũ parentes nunquam tales fuerunt, nec eodẽ affecti ſunt morbo, aut laborarunt vnquam: contrà verò, non defuerunt ab omni articulorum morbo immunes, quorũ tamen progenitores valde vehementérque eodẽ laborarunt. Quamobrem, & alia cauſa innata, non ex ſeminis vitio, ſed virtutis formatricis culpa con ſtitui poteſt, qua permulti in articularem morbum facilè incidunt, obſeruata etiam congrua victus

lege: vt quibus articulorum fabrica & compages laxior & amplior: aut minor ſtrictiórve ab ortu ipſo contigit. Quo fit vt aduẽtitius humor in partem naturâ imbecillem facilius prōptiúſque admittatur.

Porro cùm oſſa inter ſe coniungi duplici genere, nimirũ κατ' ἄρθρον vel κατὰ σύμφυσιν, Medicis omnibus notum ſit: ac in ſymphyſi quidem oſſa inter ſe inuicẽ & mutuò, ſine alterius materiæ interuentu, coaleſcere cõſtet (vt in oſſibus cranii & ſimilib. videre eſt) ea certè Arthritidis ſedes eſſe minimè poteſt: vti neque συνάρθρωσις, altera τοῦ ἄρθρου ſpecies, in qua nec validè nec manifeſtò, ſed obſcurè ac perdifficilè oſſa mouentur, Arthritidem in ſe admittit, niſi rarò, vel cum tophis, & œdematoſis tumoribus, vt in articulationibus carpi, & metacarpii,

itémque ipſius pedii. Sed maximè ad διάρθρωσιν, alteram illã τοῦ ἄρθρου ſpeciem, articularẽ morbũ referimus: quam quidẽ oſsiũ cõpoſitionẽ ad motum voluntarium comparatã, laxiorem fuiſſe oportuit, vt facilem, magnnm, & euidentem motum pręſtaret, vti videre eſt in crurum, brachiorũ, manuũ; pedúmque articulis, quibus ſi quid materiæ intercipiatur, ac potiſsimùm mẽbranis, tendonibus, ac ligamentis, ex quibus firmantur ipſi articuli, quibúſque tanquã ortis à perioſtio, exactus ſenſus ineſt, dolores plerumque vehementiſsimi excitãtur. Id potiſsimùm euenire ſolet vbi aliquid vitii in huiuſmodi oſſiũ ſyntaxi & cõpoſitione à natura contingit. Efficitur enim vt aliquando naturæ motus ſoluãtur, & ipſa tanquã ſui oblita in tanto ope

re construẽdo, ossa singula in suis sedibus & locis ritè non apponat, quòd ampliora nimis ob materiæ excessum, aut minora strictiorá-ve vel acutiora ob eiusdem defectum effecerit. Vnde ipsa diarthrosis infirma, debilis, vel imperfecta existit. Quemadmodum columnarum bases & ἐπιστύλια ad certam magnitudinem & certam analogiam reduci debent, ad totius ædificii securam firmitatẽ: ita fallax & periculosa morbísque obnoxia est diarthrosis, vbi nimis acuta & stricta, aut magna nimis & ampla sunt osium capita, eorúmque acetabula: nec proinde conueniẽti analogia seu proportione respondent. Hîc enim ob magnitudinem os osi non probè inseritur: illic verò veluti summo acumine sese cõtingunt, extremísque la-

biis quaſi deoſculantur. Interdum etiam accidit, vt ipſis vinculis & ligamentis relaxatis, intentis aut naturâ breuioribus, inter ſe oſſa non appoſitè coniungantur & firmentur. Quibus ex cauſis partes eiuſcemodi naturâ infirmæ ac debiles, humores ſuperfluos & excrementitios ſuſcipiunt, ac in ſeſe admittunt. Iure igitur dicimus, Arthritidẽ cauſas habere congenitas, eáſque geminas atque potentiſsimas: quarum vna à parentibus atque auis in filios & nepotes deriuatur, vt perbellè declarat Galenus. Altera vitio conſtructionis partiũ aut magnitudinis & paruitatis earundẽ aſcribitur. Hæ verò cauſſę quãto maiorem vim habent ad articularis morbi generationem, tanto eius præcautio & ſublatio difficilior eſt, & peruicacior.

Lib. 6. Apho. cõment. 28.

De causis externis seu primitiuis, quas Græci προκαταρκτικὰς *appellant, articulorum imbecillitatis effectricibus.*

SVperest vt ad alteram transeamus causam, quam aliunde accidere, & in rebus externis positá esse meritò diximus. Etenim vel ex vitio erroréque anteactæ vitæ, & intemperantia proficiscitur, cõtrahitúrque, vel ex frequenti motu, immoderatis laboribus, frigore vehemẽtiore, immodica venere, ebrietate, crapula, nimio balneorũ, ac denique intempestiuo rerum omnium impensè calidarũ vsu, vt quæ naturalem compagem artuũ relaxent, emolliant, & eneruent. Ac licet nomine victus antecedentis hæc omnia de priscorum sententia comprehendi possint, singula tamẽ immodicè vel inordina-

dina

dinatè adhibita, plurimùm ad Arthritidis generationẽ valere dicũtur: quẽadmodũ & ea omnia, ſine quibus vitam ducere minimè poſſumus: quæque à medicis res non naturales nominantur. Nam & ipſe aer ambiens, ſi impenſè à media conſtitutione & temperatura receſſerit, non parum toti naturæ incommodat, vt & omnis intemperies, docente Galen. Calidus enim corpora calefaciens, humores diſſoluendo, liquando & diuellendo, vires in omnibus mẽbris deiicit, ac proinde ipſos articulos, diſſipato eorũ calore innato, ac tandẽ reſoluto, ſuſcipiendis defluxionibus aptiores reddit. Quòd ſi aeris caliditati ſicca etiam intemperies acceſſerit, omnẽ corporis habitũ immodicè ſiccãdo, alimoniámq; impediẽdo, articulis noxã haud

Metho. med. lib. 10.

leuem infert. Hinc ipsi imbecillio
res facti, facilè humores admittũt,
præsertim verò biliosos, & si qui a-
lii fluxioni sint apti. Sic ex aduer-
so, aeris nimia frigiditas caloré na
tiuũ in singulis partibus sæpe ex-
tinguens, vel saltem obtundens, ar
tus infirmat, & cogendo arctandó
que ipsos etiã humores detrudit,
instar spongiæ aqua madentis, &
manibus compressæ: vnde quibus
dam non raró contingit articula-
rem morbum fieri refrigeratis par
tibus, siue flante Borea, siue etiam
per tempora & loca niuosa & algi
da iter fiat. Ad eundem modũ vbi
impensè humidus est aer, corpus
vniuersum humectando, cuté, ner
uos, membranas, tendones, & par-
tes reliquas molliendo, articulos
laxat, & excrementis suscipien-
dis obnoxios reddit: adeóq; mor-
bos

bos à fluxione procreat. Tandem verò delatis in articulos humoribus multis, dolores & cruciatus excitari consueuerunt. Sed hæc non omnibus ex æquo, sed pro alio atque alio hominum temperamento eueniunt: quod ipsum de aliis omnibus causis dici potest, vti rectè monuit Hippocrat. Immodicus quoque labor, præsertímque insolens, & à cibo potissimùm, & corporis motus omnis vehementior, ipsis articulis officere solet: eo nomine complector cursum vehementem, saltum, equitationem, & concitatam quoque ambulationẽ. Ea & si quę sunt alia exercitationũ genera, licet non parui sint momẽti ad bonam valetudinem tuendã, si quis iis opportunè ac tẽpestiuè vtatur, vti monet Galenus: ita perniciem afferũt, si à cibo aut corpo-

Lib. De aere, locis & aquis.

2. De sanit. tuen.

re excrementis referto, vel pridiano cibo nondum probè confecto, aut deníque alui & vesicæ excrementis nondum eductis suscipiantur. A vẽtriculo siquidem crudus incoctúsque cibus in omne corpus deducitur, atque distribuitur, & magna succorum in vasis nõ rectè elaboratorum copia, excrementorúmque prouectus, quę per vias conuenientes excerni debuerant, in habitum corporis motus impetu rapiũtur. quę docta est Galeni sententia. Hinc verò magná excrementorum copiá, motionis impetu impulsam, meatus corporis obstruere, solidas partes excrementis onerare, noxam inferre, cõuulsas aut ruptas immodicè distẽdere, & articulos etiam implere, ac diuellere necessum èst: quòd lassitudo vim liquandi habeat, Aristo

Lib. De boni & mali succi alimẽtis.

ſtoteli libro De ſomno. Ob id rectè, vt pleraque alia, ab Hippocrate dictum eſt: Plurimum atque repēte mouere corpus, periculoſum: quoniam omne nimium naturę inimicum: quod verò paulatim fit, tutū. Rurſum alibi, Repētina quęuis mutatio, ſi modum exceſſerit, noxā infert. Neque verò huic ſententiæ reclamat quod à Gale. proponitur, Quòd exercitatio podagram fieri prohibeat: eò quòd hęc tria potiſsimùm cōmoda adfert, membrorum ex attritu duritiem ac firmitatem, caloris augmentū, & ſpiritus citatiorem motum: quo efficitur, vt nutritio & reliquæ naturæ functiones fœlicius obeātur, vt idem teſtatur. Illud enim ita intelligendum eſt, ſi in tempore, ordine, modo & menſura adhibeāntur.

Apho 51 ſect. 2.

Libr. 2. rat. vict. acut.

6. Aph. cont. 28.

2. De ſanit. tuen.

Tempus quippe exercitationi idoneum matutinum eſſe cõſtat, ac ante cibum:tum enim valetudini prodeſt, & maximum adfert cómodum:craſſos ſuccos concòquit, atque attenuat,& naturæ familiares efficit.

Non minus ordo obſeruandus eſt,nẽpe vt non niſi expulſis priùs alui & veſicæ excrementis (vt antea dictum eſt)ſuſcipiatur:nequid eorum in habitum corporis rapiatur caloris vi, qui per exercitationem accenditur,vt loco antè citato ex ipſius Gal.ſententia demonſtratum eſt.Hinc indeimpurgato, vehementius laboranti, & à cibo, vlcera accidere, caput vaporibus impleri,viſcera obſtrui,pondus & diſtentionis ſenſum articulis inuehi,certiſsimum eſt.

Modum verò & iuſtam exerci

tatio

tationis menſuram, etſi impoſsibil[e] ſit definire, & quouſque huic vel il[-] li intendenda aut remittenda ſint exercitia: ea tamen ſi fuerint immo derata & intempeſtiua, hoc morbo correptis perniciofiſsima meritò di ci poſſunt: vt quæ corpus fatigent, minimúmque extenuent, ac deni- que languorem pariant.

Sed nec omnes exercitandi ſunt, præſertim exercitationibus immo dicis, quod Hippocrates rectè an- *In epid.* notauit: dum calidas naturas quie- ſcere iubet. Et certè quibus imbecil les ſunt admodum partes, vehemẽ- tes exercitationes minimè proſunt: quum potius noceant. Itémque om nia quæ caput replent, eos potiſsi- mùm lædunt, qui vertigine, oph- thalmia, aurium dolore tentantur: aut quibus fluxio in columellam, gingiuas, dẽtes, & reliquas circa col

ſum & caput partes incumbit.

Quare ſenibus & articulari mor bo obnoxiis incõmodare dicimus exercitationes validas & immodicas: at potius cum Galeno concedimus tardas, molles, & quæ corpus & animum pro ſua vtriuſque virtute iuuare poſſunt: cuiuſmodi eſt frictio cum oleo manè adminiſtrata, & poſt hanc ambulatio geſtatióque citra laſsitudinem.

Quies & otium (quæ exercitationi contraria ſunt) pariter ipſis articulis officere, ſi immodica fuerint, non minus quàm reliquis corporis partibus, & eos imbecilliores ex accidenti reddere dicuntur: quòd corpus frigidius reddant, excrementa diſſolui prohibeant, genuinum calorem in omnibus membris præfocent, atque minuant: & vt infœlicius in membris coctiones nutritioné ſ-

que

que procedant, efficiunt: torpidos denique, & ad omnem motum ineptos artus reddũt. Quamobrem modica si fuerint, prodesse dicuntur: immodica pari ratione articulis imbecillitatem inuehunt: quod quotidiana comprobat experientia.

Verùm otii & quietis nomine somnum comprehendimus, quemadmodum exercitationis appellatione vigilias, quòd necessitate quadam, & vicissitudine sint inter se componenda somnus & vigilia, veluti labor & quies. Quia lassitudini, & virium dissolutioni ex labore, & corporis immodica motione salutare remedium ex somno quæritur, vt & ex quiete. Nam etsi ipsa naturalis facultas multò validius per somnum suo munere fungatur: animalis tamen quiescit, & ab actionibus suis omnino libera est: atque a-

deò impediti ſenſus per ſomnum, minus in proprias motioues obeundas ferri poſſunt: qua vacatione, & ſpirituum ſedatione nulla quies maior ac ſuauior eſſe poteſt. Ariſtotel. & Galen.

Lib. De ſom. & vig. Lib. j de ſympt. cauſis. Gal. cõment. 2. Aphor. ſect. 2. Libr. 3. præſa.

Vt igitur in naturæ operibus obeundis non poſtremæ partes ſomno tẽpeſtiuo ſunt tribuendæ: ſic ex nimio & intẽpeſtiuo multa emergunt incommoda. Quid mirum igitur, ſi permulti hoc morbi genere corripiantur, qui immodico ſeſe ſomno ſaginãt, & in longo otio verſantur, nec ſe vllis negotiis exercẽt: ſed ita mollem otioſámque vitã degunt, ac ſomnolentã, vt ipſum Epimenidẽ aut Endymionẽ longiore ſomno ſuperare videantur? quùm moderatis exercitiis, & laboribus prohiberi podagram, ſuperius de Gal. ſententia diximus.

De ſomno Epimenidis Plin. li. 7. cap. 52.

Sed

Sed etiã quæ ſequuntur, Arthritidis generationẽ efficere, aut prohibere poſſunt: Nẽpe balnea, & rerũ calidarũ nimius ac frequentior vſus. Balneorũ enim cùm variæ multiplicéſque ſint differentiæ, nõ omnibus ea ex æquo conueniunt, neque pari modo adhibenda, ſed magna cum cautione permittenda Arthriticis doloribus obnoxiis, quòd pro natura cauſæ morbũ efficientis, atque morbi tempore alia aliis conueniant. Quæ enim adſtringunt ſiue ſuaptæ natura talia ſint, ſiue inſtitutione noſtra vim ſuã obtineãt: nunquam niſi ante fluxionẽ, & in fluxionis principio tentanda, vt partem roborent, & fluxionis impetũ cõpeſcant. Alioqui fluxione iam facta, humoris tranſpirationẽ per cutim prohiberent, & vehementiori dolore articulos moleſtarent. Con-

trà verò mediocriter calida, & quę nulla qualitate eximia sunt prædita, qualia sunt dulcia & temperata, quia humectant, & per se mediocriter calfaciunt, ac poros reserando discutiunt, non nisi tẽpore doloris adhiberi debẽt: nec calfaciendo vasa dilatando, humores & excrementa attenuando, ac genuinũ calorem in articulis resoluendo, fluxionem adaugeant. Talia nempe quia multũ bilis educunt, & sua qualitate plurimùm iuuãt, si biliosę Arthritidi, & exiccatis articulis, maléque nutritis, sedata fluxione, & vacuo ventriculo, adhibeantur, non penitùs damnanda censemus. Quoniã quæ in articulis continentur cruda colliquant, & Arthriticos dolores plurimùm sedãt, membris robur addunt, & alimentum ad illa pertrahunt. Ob id eiusmodi balnea calida γερόντεια λουτρὰ,

Gal. primo ad Glauco.

id eſt,ſenilia Plato vocat:& ea ſenibus adhibenda iubet: quùm reliqui omnes olim frigidá lauarētur, calida balnea ſolis ſenib⁹, aut valetudinariis exhiberētur. Vnde tradunt Nymphas Herculi poſt multa certamina, & exhauſtis multis laboribus fatigato, calida balnea ſubminiſtraſſe. Et certè conſtat hominum corpora magnopere reuocari calidis balneis, ſi congruus & moderatus fuerit eorum vſus. Si verò crebrius quis vtatur, hæc adferre incommoda ſolent quæ Hippoc. ita perſtringit: Calidum frequentiore vſu inuehit carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, animi torporem, &quę ſequuntur. Quod & Galeno comprobatur: Calida, inquit, temperata, grata ſunt & amica: funditur enim, quod in corporibus

Aphor. 16. ſect. 5

Libr. 4. ſimpl. medic. cap. 1.

noſtris concretũ fuerat:quo maximè pathemate voluptas animantibus conciliatur. At mora longiore ſenſim quoque & ipſa moleſta euadunt: in tantã enim fuſionis immoderationẽ corpora deducunt, vt eorum ſubſtantiam diſcutiant, diſſoluant, ac diſpergãt. Verùm tũ quidem ſine mordicatione infeſtant, ac animi deliquiũ adferunt, viréſque ita deiiciunt, vt mors tandem ipſa conſequatur. Quamobrem cautè hæc adminiſtranda pro natura cauſæ morbum facientis, & morbi ipſius tempore: quemadmodum & alia quæ qualitatem obtinent quampiã eximiam, eámque natiuam, qualia ſunt quę ſalſa cõſtant aqua, aut nitroſa ſunt, aut ſulphurea, quibus hoc tempore vtuntur permulti, tanquã ſummo & vltimo remedio ad calculos renum,

num, paralysim, spasmũ & ad omnes neruorum affectus frigidos. Ideóque & veteribus & Aristoteli non ignota, olim sacra dicebãtur: vel quòd numine sacro donata mortalibus plurimùm prosint, vel quòd sulphure & fulmine rebus sacris constent. Quamuis enim bilẽ educant, resoluunt tamen, calfaciunt & siccant: vnde in ipsa Arthritide biliosa, qualitate magis lædunt quàm euacuationibus iuuent. Adde, quod nimis calefaciendo ventriculũ, hepar & reliqua viscera, causam Arthritidis biliosæ adaugent ac fouent. Rursum verò tametsi cõmoda sint humidis & frigidis præter naturã corporibus, & plerisque morbis diuturnis, vt articulari morbo, podagræ, resolutionibus, asthmati, fracturis callo obducendis, vlceribus fluidis, in-

Proble. vltim. sect.

flammationibus induratis,& vete ribus hydropibus,& id genus aliis tumoribus,impetigini,ſcabiei,articulorum fluxionibus, & coxendico morbo. Non tamē omnia ex æquo cuilibet Arthritidi frigidæ cōueniunt,nec omnibus,nec ſemper,ſed nec eodem modo,nec omni tempore adhiberi debent: etiā ſi poſtulet vſus,quòd diuerſa ſit eorum qualitas,vis & actio. Quædam enim præterquam quòd calfaciunt, etiam exiccant, & aſtringunt, vt quæ alumine conſtant. ac ea quidem in principio fluxionis Arthritidem facientis ex humore pituitoſo frigido & tenui prodeſſe plurimùm poſſunt. At verò Arthritidi inueteratæ,& in ſcirrhum contractæ plurimùm obeſſe conſtat,& Gal.quoque teſtimonio cō probatur: cum eriſypelata& inflā

2. artis curatiuæ ad glau.

matio-

mationes immodico aſtringentiũ & infrigidantiũ vſu in ſcirrhũ con trahi docet: multò igitur magis of ficient vbi ſcirrhoſa pars extiterit, quéadmodũ in nodoſa podagra. Cõtrà ſulphurea neruos emolliũt, fluxionibus articulorũ & duritiei non parum conferunt, vti & bitu- minoſa, quæ fluxione facta ad par tes emolliendas, ac materiam diſ- ſoluendã adhiberi poſſunt, modò caput & ſenſuum inſtrumenta nõ oblædant. Sic & aliorum balneo- rũ vſus, pari proportione vtilis, vel noxius eſſe poteſt Arthritidi labo rantibus. Vnde mirũ eſſe non de- bet ſi quæ aliquãdo iuuãt, aliàs me dentiũ imperitia lædant. Quod re ctè admonet vulgaris verſiculus:

Balnea, vina, venus, corrumpunt cor-
pora noſtra.
Sed vitã faciunt balnea, vina, venus.

DE QVIBVS duobus postremis etiam agere tempestiuum est. Enimuero si quid aliud, ipsa sanè cibi & potus incauta ratio, Arthritidis gignendę, vel confirmandę vim habere perhibetur, scilicet dum neque modus, neque tẽpus vllum, neque mensura aliqua obseruatur in esculentis poculentísque assumendis. Istiusmodi enim errata non solùm in laborantibus grauiores morbos efficiunt, sed etiã sanis ægrotandi occasiones adferunt, teste Gal. Neque quidquã ęgro nocet vehementiùs, vt tradit Celsus, quàm cùm in eo quod assumitur vel tẽpore, vel modo, vel genere peccatur. Contrà nihil magis ægrotanti, vel sano confert, quàm opportunè & congruè epulari: vt sæpius nos admonet Hippocra. dum cautam victus rationẽ tan-

Lib. De Nat. huma. comment. 2.

Libr. 1. De ratione victus acuto.

tantopere nobis commendat: vt quam ad ſanitaté ęgris conſequen dá plurimùm valere, & omnibus ſeſe exercentibus ad bonum habi tum comparandum præſtare plurimùm non ſemel aſſerat. Quòd ſi vnquam aliàs hęc obſeruáda ſunt, in hoc potiſsimùm affectu ſunt no bis conſideranda, vtpote qui omni ex parte à prauis humoribus & excrementis cauſam habeat materialem.

Neque verò in toto penè mortalium genere aliquos reperire licet, qui tá citò & manifeſtè lædantur prauis alimentis, quàm quicunque hoc affectu laborant. Neque rurſum qui ægriùs difficiliúſque ſubiiciantur (quod pace multorũ dictũ ſit) optimis cibandi legibus: & plerique tamé, ſi (vti par eſt) pa rere vellent, non tam diris nec tá

multis cruciatibus conficerentur. Sed quæ nobis potentiſsimi ac beneficentiſsimi Dei tam larga manu donata ſunt, quibúſque veluti corruentis ac contabeſcentis ſubſtantiæ noſtræ corporeæ, moles, vitáque hæc noſtra naturæ vitio fragilis & caduca inſtaurari, & longius produci voluit, ea in perniciem ac totius naturæ noſtræ ruinam miſeri conuertimus: dum ob nimias comeſſationes ac perpotationes ventrem ſaburrando nimia plenitudine, ac interdum etiam humorum corruptela in graueis morbos incidimus: apoplexiam, ſpaſmum, lethargum, hydropẽ, viſcerũ obſtructionem ac podagrã. Et meritò de his grauiter conquerebatur Paulus & Auicenna, ſuo tẽpore longè alium fuiſſe viuendi modum ab eo quo priſcis tempo-

Cap. De cibatione.

ribus

ribus Hippocratis & Gal. homines vtebantur: adeóque quamplurimos antè inauditos morbos inualuisse, ex confusis humoribus; nimirum pituita & bile contractos. vti tum febres aliàs nothas, tùm etiam spurias tertianas, necnon Arthritides ex bile & pituita: qui quidem morbi rarissimè Hippocrat. tempore vigerent: nempe ob sobriã & congruãviuendi rationem tẽporibus illis integrè obseruatã.

Desinant igitur mirari homines, cùm videant plerosque otio, ebrietati, crapulæ, ac omni intemperantiæ generi deditos, iam multos podagricos conspici: desinant, inquam, mirari, vt plerosque alios morbos, ita & Arthritidem curari iam vix posse. Siquidem quotquot ferè (paucos excipio) huic affectui sunt obnoxii,

mille ac mille cruciatib. excruciari, ac millies etiam quotidie mori, si fieri posset, malint, quàm vel minima voluptatum suarum parte

Lib. De legib. 6.

vnico momento carere. Idipsum cùm Plato satis animaduerteret, illique sat notum esset ex peruersa viuendi ratione, & voluptatum blandimẽtis homines in graues ac mortiferos dolores sæpissimè incidere, eiusmodi voluptates minùs esse necessarias, nihilque adferre boni posse, imò plerumque nocere, rectè admonuit. Quinetiam ad cibum capessendum ne accederemus hortatus est, nisi duabus potissimùm de causis: quoniam videlicet absque cibo & potu vita hæc cõsistere, ac ne produci quidẽ possit: & quia etiã illa sua vtilitate non vacant. Aliorũ verò condimentorum, & gulæ irritamentorũ vsum

omnino

omnino damnat, niſi quatenus ad bonam corporis habitudinem aliquid conferre poſſunt.

At verò ipſius ebrietatis (qua quidem frequentius nihil) incommoda, quid attinet cõmemorare? cùm nemo neſciat ebrietate mentem in furorem mutari, & in impetum mali, obliuionémque boni tádem perduci: quemadmodum Vlyſsis ſocios in belluas transformatos aiunt: & Cleomenem Spartarum regem cum Scythis agenté conſuetudinem, & illorum ἀκρατοποσίαν καὶ ζωρότερον πίνειν imitátem, in leonem verſum fuiſſe fabulantur, ac tãdem ſenem tremulum, & planè podagricum extitiſſe. *Plutarchus.*

Sed præter hæc animi pathemata alia ingentia monſtra parit, quibus miſerè corpus humanum infeſtatur: dũ & naturæ vires gra-

uat, & ſtomachum inflat, ac violẽ ter diſtendit, rugitum & torſiones ventris generat, malos humores auget, eoſdẽ putridos efficit, nauſeam & vomitum prouocat, natiuum calorem extinguit (vt in lampade ex olei nimia perfuſione videre eſt) neruorum cõtractionem atque tremorem parit, articulorum dolores, vlcera, ſcabiem, apoſtemata, eructationes, putidum anhelitum inducit, ſenium & mortẽ accelerat, ac denique malorũ omnium colluuiem attrahit.

Eadem propè omnia fieri etiam plerunque ſolent ex immodica cibi ingurgitatione, & ferculorũ varietate multiplici. Namque cùm noua cibi & potus aſſumptio, inelaborato priori cibo addita, à natiuo calore ſuperari non poteſt, ventriculum prauis impleri humoribus

bus necesse est, cruditates in visce ribus cōgeri, obstructiones, putre dines, ac varias febres suboriri. Quorum omnium soboles Arthritis meritò ab optimis quibusquē authoribus censetur. Nam cùm ipse calor non sufficiat conficiēdis alimentis immodicè assumptis, aliquid eorum, quantum in se est, resoluit, & disgregat. Illud autem quod resoluitur ex deprauata coctione alimentorum, in fumos tandem conuersum, cerebrum petit, meningas distendit, eásque cū cerebro simul grauiter afficit. Hinc dolor capitis, membrorū tremor, neruorum mollities & languor, catarrhi: quæ quidem omnia ipsam Arthritidem præcedere, aut certè comitari perpetuò cernere licet.

Præterea obsoniorum varietas multipléxque apparatus in vna

eadémque mensa, eadem præstare, & articulorum firmitati plurimùm officere possunt. Quia dum alter cibus concoquitur, aut concoctus est, alter verò alterius naturæ ac speciei difficiliorísque côcoctionis, vix ac ne vix quidē confici tur, sed deprauatur, stomachū grauat, lædit ac corrumpit. Vnde concoctiones in visceribus primò, deinde in toto corporis habitu non possunt nō esse malæ: quoniam caloris natiui vis & potestas retunditur, & infirma redditur nimia humorum præter naturam & excrementorum mole: ac inde articuli suscipiendis defluxionibus apti premūtur, singulæ partes proprio alimento priuantur, & nescio quo tumore afficiuntur, & vnà contabescunt.

Atque id multò faciliùs contingit,

git, ſi vini potentis ac generoſi copia adiungatur: quod quanquam potentia calidũ exiſtat, excrementa tanquam vehiculum perducit in viſcera & venas. Ac proinde ebullitione facta, ſuis vaporibus fumoſis cerebrũ impetit, & implet, tentat, vellicat, ac neruos diſtẽdit, frigidóſque affectus ex accidenti parit: paralyſim, ſtuporem, apoplexiam, neruorum incontinentiam, conuulſionem, vertiginem, cæcitatem, Arthritidem, malũ denique corporis habitum. Itaque in ſumma dictum ſit, vbi nulla eſt in bibẽdo moderatio ac temperantia, certiſsimam Arthritico imminere perniciem. *Gal. 3. De Tẽp. & 3. De Simpl. medic. facult.*

Quùm igitur alimoniæ ratio, & alimentorum aſſumendorũ qualitas, quantitas, tempus & ordo non parui ſint momenti, & ad præcau-

tionem & ad curationem tãti mali. In primis cibandi legibus is operam dabit, qui huius affectus immunis esse volet.

Inter alia autem quantum possit ad Arthritidis generationem immodica venus ita perspicuum est, vt probatione non egeat. Siquidem ipsa quotidiana experientia, non sine maximo multorum incommodo ac malo, fidem facit. Hanc idcirco prioribus causis annectimus: cùm sine Cerere & Baccho (vt est apud Comicũ) frigeat venus: & vinũ τῆς ἀφροδίτης γάλα rectè dixerit Aristoph. id est, veneris lac: & Arthritis sit filia vtriusque: quòd mero epoto venus vegetior reddita turgeat, ac potentiùs vrgeat: & ea nihilominus adeò incommodare & noxam inferre corporibus nostris, & potissimùm cerebro,

rebro, neruis & articulis aſſolet, vt Hippocrates meritò dixerit, τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, id eſt, coitum morbum eſſe paruum comitialem, quòd concitatior venus, totius corporis connexionem & compagem concutiat, & veluti breuem conuulſionem, qualis cernitur in epilepſia, ad aliquod temporis interuallum pariat, humoris diſſoluat, neruos diſtendat, & diſrumpat, articulos omnes commoueat, & diuellat: vnde imbecilliores ipſi redditi, humores turgentes in ſe facillimè admittunt. Qua de cauſa neque eunuchos, neque fœminas, neque pueros laborare podagrà ante vſum venereorum dixit Hippocrates, quòd ſuis temporibus (vt ſuprà iam dictum eſt) homines frugaliùs viuerent. At nunc ſi ſe- *Aphor. 28.29. & 30. ſect.6.*

cus eueniat, intemperantiæ & hominum deprauatæ vitæ tribuendum potius, quàm vt fallitatis conuincatur Hippocrates. Atque hac occasione Seneca inuehitur in eos qui per luxum Hippocratem mendacem fecerunt. Sin mulieri alioqui temperanti podagra contingat, arguit mẽstrua defecisse, aut pauciora esse, quàm prohibendis morbis conueniant. Menstruis largius fluentibus morbi eueniunt, non fluentibus autẽ ex vtero morbi contingunt Hippocrati. Quod ad pueros attinet, vbi pubertatem attigerint, & iam adolescere inceperint, naturalis est motus seminis, vnde rarescit corpus, & relaxatur. Iam venere accedente, concussio, motus, concalfactio articulorum, & laxitas: ex quibus eò celeriùs materia decumbit. Atque inde

Apho.5. Sect.5.

de adeò fit vt podagrici magna ex parte ad venerem ſint procliues: vel quia flatibus, quibus ſæpe abundant, intendantur nerui ac rigeant: vel quia ex otio, quod eſt libidinis parẽs, rebus venereis ſint aſſueti: vel quia ex crebro decubitu in dorſum, humores ad genitalia deferantur. Itaque his frequentius accidere viſa eſt podagra, qui lautã quietámque & luxurioſam vitam agunt, quàm his qui frugaliter viuunt, & à venere quoad eius fieri poteſt, abſtinẽt. Si quis enim in rebus venereis modum vel tantillum exceſſerit, ſubitò profectò viribus exhauritur, ſtomachum ſuum labefactari, præcordia, cerebrúmque infeſtari ſentiet: humorum cruditates, ac virium corporis functionúmque omnium infirmitatem ſibi conciliabit, ſenectu-

tem accelerabit, caniciem, neruorum incontinentiam; podagras, Arthritidas, ac membrorum omnium tremores accerſet: quòd nimia natiui caloris, & ſpiritus diſſolutione, vniuerſum corpus plurimùm refrigeretur, infirmum languidúmque reddatur, tātúmque, vt ſemel dicam, obeſt venus immodica, vt dicere nōn dubitarit Auicennas, Si quid ſeminis, ſuprà quàm natura ferat, coitu profluat, obeſſe magis, quàm ſi quadragies tantundē ſanguinis emanarit. Proinde Ariſtoteles rectè concludit, animalia multùm & frequentius coeuntia, breuioris eſſe vitæ: vt paſſeres vix biennium viuant, ob ſalacitatem. & Democritus venerē damnat, in qua homo hominis limites exilit.

Lib De animal.

Lib. De nat. animal.

Plin. lib. 8. De nat. hiſt. cap. 6.

Iſtis

Iſtis itaque voluptatibus duabus coeundi atque comedendi, quæ ſunt homini cum ſue, equo, aſino, & cæteris animalibus communes, ne abutamur: quemadmodum facere ſolent ii, quos ἀκολάστους καὶ ἀκρατεῖς grauiſsimi vitii vocabulis Græci appellarunt. Nos, inquã, viuere non cupiamus, vt iſtis abutamur: ſed nobis edendum bibendúmque ſciamus, vt incolumes miſeram hanc vitam traducamus, ac interim genus humanum propagare poſsimus.

At verò antedictarum cauſarũ genus, corpus noſtrum alterantiũ, non eſſe penitus damnandum, omnibus in confeſſo eſt: quòd ſine iis ne animans quidem vllum viuere poſſet. Sed tamẽ congruus modus, quantitáſque prȩſcribenda: ſin mi

nus, lædere magis quàm iuuare nemo negabit.

Porro animi Pathemata & affectus qui nobis cum brutis animantibus quoque communes ſunt, modis omnibus cõpeſcẽdi ſunt. Quòd eiuſmodi perturbationes (vt rectè Gal. definiiſſe videtur) ſint auerſæ à recta ratione animi commotiones. vimque neceſſariam habeant alterãdi corporis noſtri, quibus quidem omnes ferè obnoxii ſumus, quãuis alii plus, alii minus: id ſi omnino fieri nequit, at illis certè ne nimiùm aſſueſcamus, vt iræ, furori, excandeſcentiæ, inuidiæ, vindictæ, timori, maleuolentiæ, ſolicitudini, mœrori, ac lamentationi, neque his minus gaudio immodico, lætitiæ, cupiditati. Sunt ex his, fateor, animi affectibus qui ſuum etiam vſum aliquando habent ſi modus adhibeatur, vti

5. De Hippoc. & Plato. decretis.

ira,

ira, ad calorem excitandum in corde ſopitum, & ad crudorum humorum ac pituitæ coctiones iuuandas: ſic & triſtitia & metus, ſudoribus compeſcendis, fluxui ſanguinis, aliiſque euacuationibus ſupprimendis cõferre poſſunt. Sic rurſum audacia, ſpes, cõfidentia, & cæteræ paſsiones quæ ſedẽ habent in corde, & hepate, ſuos etiam vſus habere dicuntur: tum ad ipſius corporis optimam & ſalubrẽ medelam, tum & ad contrarias ſedandas ægritudines. Et cerebrum etiam quò ſe ipſum exerceat, & aliquo caloris motu excitetur, ne quãdo nimio otio torpeſcat, indigere videtur cogitationibus, ratiocinationibus, & aliis exercitiis, prout exigũt corporis affectiones & animi officia. Sed ſi quibus hæc obeſſe poſſunt, vel noxam aliquam inferre in alterandis corporibus, iis

certè potiſsimùm nocere ſolent, qui articulorum morbo laborant: quod ex antedictis affectibus, calorem alii accendant, effundant, expandantur: alii minuant, contrahantur. Ex quibus tandem naſcuntur febres, ardores, humorũ colliquationes, atq; fluxiones: quę quidem articulorum compagẽ próptiſſimè diſſoluũt, dolorémq; cõcitant.

Cæterùm hæc omnia, & ſi quæ ſunt eiuſmodi in rebus non naturalibus, quantam vim habeant ad Arthritidis generationẽ, ſi illis perperam vtamur, quoniam omnibus palàm eſſe non ſum neſcius, non aliis rationibus id ſtabilire aut confirmare opus eſt. Iam igitur ad internas cauſas progrediamur & eas etiã ſigillatim expendamus.

De cauſis internis Arthritidem procreantibus.

ARthritidem fieri à debilitate membri, tanquam inſeparabili eius cauſa, antea diximus: Supereſt vt ad humorem ſuperfluum, qui eius eſt materialis cauſa, trãſeamus. Cùm enim morbi omnes, vel ſimplices eſſe dicantur, vel compoſiti: ad morborum compoſitorum genus, Arthritidem referendam eſſe ſuperiùs ſatis (vt mihi quidem videtur) demonſtratum eſt. Nam aduentitius ac aliunde influens humor, nempe à parte fortiori ad imbecilliorem delatus, materialis cauſa efficiendæ Arthritidi conſtituitur: quam comitatur intemperies, mala conformatio, & continui ſolutio. *Gal. cõment. 28 ſect. 6. Aphor.*

Neque verò ſola articuli imbecillitas ad cõſtituendam Arthritidem ſatis eſſe poteſt, vt dictum eſt, niſi

ascititius etiam humor ad eam decumbat, excretus nimirùm, atque protrusus à fortioribus membris. Hoc enim naturæ & rationi consentaneum est: vt omne sentiens robustum, à se propellat quod molestũ est, & inimicum. Externę verò partes, vt cutis, & qui illi circumiacent articuli, & si quæ sint minus robustæ, suscipiendis humorum fluxionibus paratę sint. Ergo ab humore aliquo fieri Arthritidem optima ratione dictum est à doctis: etiamsi non perpetuò manifesta fuerit humoris fluxio. Nam per viam quoque cõgestionis, quę nihil aliud est, quàm ἡ συμφόρησις τῶν ὑγρῶν, idest, humorum congeries enasci aliquando potest: vt in iis qui nulla humoris fluxione percepta, primùm obtusum dolorem, deinde maiorem sensim augescẽtem persentiscunt. Tandem

dem enim fit, vt non minùs infeſtet eo, qui ab humore affatim & continuò fluente enaſcitur: quẽadmodum in lue venerea accidit, in qua quidem articulorum dolores noctè diéque infeſtant ægros, propter perioſtii exactiſsimũ ſenſum. Cui ab hac lue intemperies maxima, & cõtinui diuortium ineſt: quæ duo ſunt præcipuè cuiuſuis doloris efficiendi cauſæ in omnibus membris ſenſu præditis. *Gal. 2. De Sympt. cauſ.*

Quantùm enim immodica ac intempeſtiua venus ſuapte natura poſsit ad articularis morbi generationem, ſuprà demonſtratum eſt: quòd viriũ per hanc maxima fiat exolutio, & partiũ infirmitas non minima contrahatur. Sed longè maior noxa contingit, vbi eiuſmodi virus ingenerat: cui lues adæquari vix vlla poteſt. Tantum ma-

lum citra alicuius humoris præsentiam fieri non posse, ostendit ipsius morbi curatio, quam assequi nemo potest ante aliquam manifestam humoris euacuationē per sudores, vel sputa, vel vrinas, vel ventris fluxum, & eiuscemodi cōuenientes euacuationes. Morbos qui fiunt à plenitudine certum est euacuatione curari, vel teste Hippocrat. Verumenimuero humor artuum nutriendorum gratia transmissus, quíque in hac lue, naturę grauis & infensus esse solet, à calore partis insito euinci ac superari minimè potest. Quinimo magis ac magis corrumpitur & putrescit, tumorem efficit, & partibus sensu præditis acutissimum dolorem infert. Sed hæc Arthritis longè distat diuersáque est ab ea, quam tractandam in præsentia

su-

ſuſcepimus. verùm de illa quoque pauca hîc obiter dicere viſum eſt, quòd vtraque cauſam habeat humoris alicuius ſuperuacanei, aut excrementi ſuperflui nimiam copiam, quod à parte fluit in partem, vel in ipſa parte affecta ſenſim paulatímque congeritur. Hiſce enim ferè duobus modis morbus hic gignitur, nempe per affluxionem ab aliis partibus, & per congeſtionem humoris, malè coquente parte. Quod nemo ſani ac recti iudicii non comprobarit, niſi fortè in caſtra Paracelſiſtarum trāſierit, ac eorum deliriis faſcinatus fuerit.

Cum igitur áliqua humoris redundantia, alteram Arthritidis gignendæ cauſam efficientem conſtituat, nec ipſe ſimplex & vnus eſſe poſsit, vti demonſtratione certa

comprobari poteſt. Pro varia certè ſui natura, varias ac diuerſas Arthritidis differentias parit: quæ tumorum, ſymptomatum, & partiũ diuerſitate inter ſe diſcrepant. Fit enim alia à ſanguine, alia à pituita, alia denique à bile: rariſsimè verò à melancholia. Sed propriis notis ſuo quamque loco diſtinguemus.

Quoniam verò nobis res eſt cũ pſeudophiloſophis, nouo ſcilicet quodam medicorum agmine, qui pro oraculorum velut ex tripode editorum loco habent, quidquid à Paracelſo acceperunt (ſic enim rudes & imperiti, falſas quas animo conceperunt opiniones, haud temerè deponunt) ideo paulò altius res nobis eſt repetenda, vt fiat dilucidior, vtque noſtra oratio certis innitatur fundamentis. Hoc itaque nobis comprobandum videtur,

tur, quatuor hos humores noſtri corporis elementa eſſe, ſenſibus ſubiecta, quibus ritè contemperatis nos incolumiter viuamus. Contrà verò malè inuicem ſubactis, vel corruptis, aut alioqui malè affectis, nos quoque malè afficiamur. His alia priora eſſe elementa non equidem inficior: ſed iſta tamen quatuor cenſentur corporũ ſanguine præditorum elementa quoad ſenſus, ex ſententia omniũ tum Philoſophorum, tum etiã Medicorum, quòd quatuor illis primis omnium rerum elemẽtis proportione reſpondeant. *Hippo. De natura. Ariſtot. De animal. & Gal. 2. De Elemen.*

Conſtat omne corpus Phyſicũ ex primis quatuor elementis ſimpliciſsimis, igne ſcilicet, aere, aqua & terra ſimul mixtis, ac probè contemperatis, pro vniuſcuiuſque genere ac ſpecie componi: illúdque

ita comprobatum eſt omnibus ſanæ mentis, ac recti & ſinceri iudicii viris, vt in diſputationem venire minimè debeat. Docuit apertiſſimè Ariſtote. libro De cœlo, elementa rerum omnium quaternario numero comprehendi. Illúdque maximè demonſtrauit, ex motu leuis & grauis, quos elementis, velut accidentarias formas adeſſe etiam ſenſus ipſi diiudicant, itémque ex primarum qualitatum quatuor cõiugationibus, quarum ſingulæ eodem in ſubiecto rectè cõſiſtere poſſunt. Calidum enim & ſiccum probè ſimul conueniunt, ignémque pariunt: humidum calido adiunctum, aerem conſtituit: frigidum & ſiccum ad terræ, vt frigidum & humidum ad aquę productionem conſpirāt. Atque hoc (vt ita dicam) ſymboliſmo & con

Libr. 4. cap. 5.

cor-

cordia ſimul omnia conſtare Plato firmiſsimis rationibus confirmauit, idipſum Hippocrat. & Galenus, duo pręſtãtiſsima artis medicæ lumina, nomine calidi, frigidi, humidi, & ſicci deſignarunt, infinitíſque propemodum demonſtrationibus (quas euincere nemo poteſt) manifeſtiſsimè docuerunt. Ex his ipſis non ſolùm inanimatæ res, ſed animantia quoque omnia fiunt & terminantur. Qua verò ratione id comprehendi poſsit, perſpicuè monſtratur à Galeno. Non enim, inquit, eo modo fiũt corpora ex elementis, ac ſi dicas ex terra aqua conſperſa, ſoléque excalfacta continuò animal generari: ſed multis interuenientibus mutationibus generatio ex illis fit. Solet enim natura ex elementis rudia quædam opera primùm procrea-

In Timæo.
De nat. human.
De element. & temp. 1.
8. De placit. Hippoc. & Platon.

re: alia deindè ex illis perfectiora, donec perfectissima opera attingat, & absoluat. Et ita ad generationem nostrorum corporum, primùm herbas, fructus & semina plãtarum gigni ex elementis, quibus postea vescuntur animalia, quæ fructibus & herbis viuunt. Ex illis deinceps cibum capimus: ex cibo autem sanguis, pituita, bilis vtraque in nobis gignuntur: quæ iam nostræ generationis sunt materia: quibus etiã augemur, nutrimur, & quãdiu nostra patitur natura viuimus, & hoc modo elemẽta corpus nostrũ ingrediuntur: non quòd illa inter se transmutẽtur, & alia ex aliis fiant, sed quòd inter se misceãtur, & ex hac mixtione materia fiat apta ad formã mixti recipiendã. Enimuero etsi ex primis elementis sanguis & alii humores

in

in nobis fiant, & ex his ipsis singulæ partes gignantur, corrupta ipsorum forma & substantia: manet tamen ipsa semper materia, ex elementis conflata, quę in ipsa resolutione & corruptione demum conspicitur. Moriente enim homine aerem expirari videmus, & planè eo dissoluto terram & humorem relinqui.

De elementis pluribus hîc pertractare, cùm aliquibus superfluũ, ac præter rem fortasse videri possit, silentio prætereundum nobis esse putarem, nisi etiam inuitis nobis res esset cum iis qui nouo & inaudito falsitatis dogmate, omnia Philosophorum ac Medicorũ placita, tam firmis támque multis rationibus, tantáque seculorũ diuturnitate confirmata, quantùm in se est, euertere conatur. Huius hę-

reſeos princeps Aureolus Theophraſtus Paracelſus, ignem, aerem, aquam, terram, quatuor eſſe corporis phyſici elementa, negare auſus eſt: atque ea, ſicut & humores, nõ eſſe Medico conſideranda, quòd neque ad morbi cognitionem, nec ad eius curationem quicquam faciant. Imò nihil iſtorum ingredi compoſitionem noſtri, impudenter (vel etiam ipſis ſenſibus aliter & verè iudicantibus) affirmauit. Sed tria tantùm elementa conſtituit, ſiue tres ſubſtantias, quibus omnia conſtare, & in quæ eadem reſolui commentus eſt, quæ nominibus inſigniuit Sulphuris, Mercurii, & Salis, eáque ſoli in homine (vt in cæteris rebus) exiſtere ait: adeóque in iis tribus conſiſtere eius, & ſanitatem & ægritudinem, non item in humoribus: nec item elementa & hu-

humores ad medicinam (cauſarũ cognoſcẽdarũ gratia) pertinere: ſed hæc ſola tria: quòd per Vulcanũ, inquit, in hæc tria quicquid eſt, reſoluitur. Omne quod ardet, « ſulphur eſt, & nihil inflammatur « præter ſulphur. Quicquid in fu- « mum tranſit, mercurius eſt, nihil « aſcendit præter mercurium. Quic « quid in cinerem redigitur, ſal exi- « ſtit, nihílque præter ſal, poteſt fie- « ri cinis. Igitur hæc tria quamlibet « rem cõſtituunt, hominem ſanum « vel infirmum reddunt. Itaque re- « ctiùs erit dicere, ſulphur, vel ſal, « vel mercurius hunc morbũ fecit: « quàm ſi dicas, pẽdet à cholera, vel « melancholia, vel phlegmate. «

Lib. Pa rami. & li. Pharma.

Et hæc eſt ſcilicet vnica, ſingularis & expedita philoſophandi ratio doctiſsimi harioli, qui ſcilicet cœlo miſſus docendis hominibus philoſophiæ palmã ſibi vendicat,

Libr. Pharm. & libr. Param.

& ante ſua tempora neminem exti
tiſſe gloriatur, qui naturam rerum,
cauſas & accidẽtia ſe meliùs cogno
uerit, nec qui corporis humani fabri
cam, & partes, facultates, & actio-
nes, vti par eſt, cognitas habuerit.
Neque etiã quo pacto quiuis mor-
bus curari poſsit, quemadmodum
ipſé prædicat libro impietatis & er-
rorum pleniſsimo, quem Pharmacã
di inſcribit: in quo ſe demonſtratu
rum pollicetur quónam modo pur-
ganda ſint corpora, neminémque
hactenus extitiſſe iactat, qui id, ſe v-
no excepto, probè nouerit. Sed ille
tandem quid horum præſtat, quæ
maximo hiatu pollicitus fuerat?
Nunc nos ad aſtra ducit, nunc ad in
feros demittit, nunc agit de Muſis,
nunc (vt ita loquar) deſcendit ad aſi
nos: vt illius ſcripta meritò dicere
poſsis portenta verè chimerica. Ete-
nim

nim quis non animaduertat quę ab eò ſcribuntur, adeò barbarè ac præter rationem & authoritatem ſcripta eſſe, vt procul dubio maiorem multis modis fructum ex libris Antonii Arenæ, vel è nugis Franciſci Rabelæſi, quàm ex iſtis referre poſſis. Sic neque iſtorum Chymicorum eius aſſeclarum ſcripta magis prodeſſe palàm eſt, quæ ad artis iſtius magnificæ commendationem ab iis in vulgus eduntur: in quibus tamen nihil præter nugas reperias. Ad quas refutandas, ne vel minima quidem temporis pars (quod melioribus debetur) teri debeat. Et profectò diſpudet viros tam eruditos, in refellendis iſtius erroribus & maledictis, quæ vix vlli reſpõſione ac refutatione digna ſunt, bonam vitę partem inſumpſiſſe. Quid enim facias, dum nemini parcit, cũctis ma-

ledicit, etiam Aristoteli, Platoni, Hippocrati, Galeno cæterísque bonis & omnium seculorum calculo probatis authoribus, imò & ipse prępotenti Deo, si ad amuſsim eius scripta perpendantur. Nam etiam eius opera non sine manifesta impietate ridet, & quantùm in se est irrita facere conatur. Quòd si quis Agyrta vel Paracelsista eius scripta (sic enim solent) non intelligi à nobis cõtendat: fatebor quidem quamplurima esse quæ à nemine quantumuis erudito & acuto percipi poſsint: imo ne ab ipso quidem authorę: cùmq ipse Satan hariolorum minister, omnia amphibologica, dubia & incerta, necnon mẽdacia iam inde ab ipso mundi exordio enuntiauerit. Sed me etiam quamplurima intelligere absurda, & impia ab eo scripta ingenuè dicam, quibus Dei

beneficio nō afficiar. eorū quędā, exēpli gratia, proferre lubet, vt eò facilius de reliqs iudiciū ferri pósſit.

Ac primùm vt ab elementis tuis exordiamur, quis docuit te, hariole, ita philoſophandum eſſe, Mundi machinam, cœlum, inquam, terrā, & quicquid illis continetur, & ipſum hominis corpus, tribus ſubſtātiis, ſulphure, ſale & mercurio conſtare? Nam ſi ita ſe res haberet, vt dicis, & adfirmare audes, Deum oportuit hæc tria habuiſſe, vt mundum & hominem ex iis, tanquam ex prę exiſtēte materia, crearet: nam per ſe extitiſſe, ais. Sed quę hęc dementia? quis furor? quónam modo hęc tria imaginaris? Nullum enim iſtorum ſimplex eſt, & incōpoſitum, ſed aliis cōſtāt pricipiis: quare aliorū principia nequaquā exiſtere poſſūnt. Neque ſulphur tantùm flammam concipit: neq; ſolus ſal fit cinis: neq; ſo-

lum hydrargyrum fumum facit. Quod firmiſsimis rationibus comprobare non difficili negotio poſſumus.

Sulphur enim per ſe non exiſtere certiſsimũ eſt, quod progignitur ex ſucco terrę pinguis vi caloris cõcreto,& ex terra expreſſo. Et illud Græcis dicitur ἄπυρον, quòd ignis ſit expers, & Latinis viuum: illúdque frequens naſcitur in locis ardentibus & calidiſsimis. Ergo cauſam habet efficientem, vim caloris ignei:& materialem, nempe terræ pinguedinem, vnde accenſum nunquam extinguitur, quouſque pinguis & oleaginoſa eius ſubſtantia, in vniuerſum igni abſumatur. Vnde conſtat omnia quæ inflammantur, vel accenduntur, non propter ſulphur inflãmari (vt proponit hic nouus philoſophaſter) ſed propter raram, le-

uem,

uem,& aeream,qua conſtant,ſub-
ſtantiam, quæ citiſsimè alteratur,
atque ignem concipit, vt omnes
Phyſici ratione probant: cuiuſmo
di infinita ſunt propemodum ſul-
phuris expertia, vt eſt aqua vitæ,
oleum,adeps, ſtipulæ, quæ omnia
ſulphurea eſſe putat, nec alia ra-
tione ignẽ concipere poſſe. Quid
(quæſo)de Naphtha, ſeu bitumi-
ne reſpondere poterit,quod ardet
in aquis, nec aqua extinguitur,
quod tamen contingit ſulphuri?
Nihil certè: vt qui nimirum rerũ
naturalium cognitionis planè ſit
imperitus.Nec verò ignoramus te
tuóſque Chemiſtas, ipſum ſul-
phur vocare maſculum ſemen, &
primum exiſtere naturę agens,ad
omnia metalla procreanda: quod
etiam falſum eſſe conſtat. tantum
abeſt vt de cæteris verum eſſe poſ

ſit. Nam etſi prę ſe ferat ſulphur tẽ peramentum manifeſtè calidum & ſiccum, & igni naturâ (ſi ita vis) ſimile dicatur: non tamen credendum eſt tam puram ſincerámque eſſe materiam, vt rerum primum principium dici poſsit. Nec etiam cogitandum, neceſſariam illi non eſſe humiditatem ad congruam formam ſuſcipiendam, quemadmodum & aliis omnibus mixtis. Id manifeſtiſsimum facit, eius facilima & velociſsima diffuſio, dum igni admotum, citiſsimè liqueſcit. Ex iis igitur ſatis comprobatur vanum eſſe ac omnino phãtaſticum quod tuo ſulphuri & ſoli, & in totum igneam eſſe naturam tribuis, ab eóquę ſolo ignem concipi. Nã de alio ſulphuris genere, quod factitiũ eſt, & paratur multis modis, hîc tecũ, Paracelſe, nõ eſſe agendũ

puto

puto, quòd minus sit naturale. Itaq; de reliquis aliis duobus, mercurio & sale, paucis etiam nobis agendum videtur: vt ad id vnde egressa est nostra redeat oratio.

Quemadmodum (vt proximè dictum est) cùm ignis in substantiam aeream accedit, fit flamma: sic etiam, vbi in terream & compactam materiã inciderit, in quã agat, fit carbo, ex quo cinis enascitur, non è sale. Nam ex iis duobus, aere scilicet, & terra, igne alteratis & accensis, fiunt illa duo ignis genera, carbo & flamma, non ex sale, & sulphure, quæ per se non existũt: sed ex illis, inquã, primis quatuor elemẽtis siue primò, siue secũdariò. Sal quippe ex mediocri materia cõsistit, cũ calore & siccitate. Nã ex partibus quibusdã terrenis, aqueæ materiæ permistis, efficitur *Gal. De temp.*

à calore extraneo,præassante,vren te,atque siccante: hoc est, fit à sicco terreno,quod ĩ aqueo humido, caloris vi præassatur & torretur. Quamobrẽ hic sal nascitur in terra,vel extra hãc: ille cæditur in mõtibus,vel eruitur è terra,aut sub arenulis reperitur: hic aut in fontibus aut in fluuiis,aut lacubus progignitur, vt & in maris summa aquâ,solis ardore siccata. Ex iisdem etiam aquis excoctis,factitium salem paramus. Hinc inde plures ipsius salis existũt species, quarum nulla rei alicuius naturalis principium esse potest. Aliunde enim nascitur,& in idipsum,ex quo ortum est,resoluitur, vt in aquam, si ex aquis magis,& in terram,si ex terra magis conflatum sit. Ex his efficitur tam absurdũ esse quàm quòd absurdissimum quod illi asserunt,

nihil

nihil poſſe in cinerem reduci præter ſalem: eúmque rerum naturalium principium eſſe.

Sed vtinam hæc Paracelſi verba, vel tantillum ſalis haberent. Non enim tam inſipida, nec tam ingrata forent quæ in medium affert: vt probet ad ſalem & ſulphur morborum cauſas referendas eſſe, eorúmque vi corpora tandem corruere, vitáque priuari. Veteres quippiam diuinum iis duobus, nimirum ſali & ſulphuri, attribuerunt, nempe quia ſal animæ, quoad licet, vice fungens, cohibeat corporum harmoniam ad corruptionem tendentium, & membrorum amicitiã inter ſeſe conſeruet. Pari ratione ſulphur fulguris ignẽ redolens, ictorum corpora, multo tempore à putredine vindicet, non interitus &

corruptionis causas esse vnquam prodiderũt. Vt autẽ duorũ præcedentiũ, nẽpe sulphuris & salis, materia remota sũt quatuor elemẽta (quẽadmodũ suprà demonstratũ est) ita etiã ex humido aqueo, subtili & vnctuoso, qualis est vapor subtilior, fit mercurius: cui nonnihil terrestre immistum esse oportet. Quia impossibile est aqueum coagulari & cohærere, nisi frigoris vi alicui terreo alligatum fuerit: vt ex aqua, cui immixta sit farina, puluis, aut cinis, aut quippiam simile, omnibus perspicuum est, massam confici & cohęrere. Eodem modo mercurius ex vapore & exhalatione cõmistis perspicuitatem suam obtinet ab aere & aqua, mobilitatem ab humore & pondere. Quòd verò minutim & in guttas disgregatur, id à sicco terreno habet. Ex

iis ergò manifestißimum est, hydrargyrũ nõ esse vnũ cũ reliquis duob⁹, sale & sulphure principiũ, quod corpus nostrũ cõstituat: nec qui tãtũ & omni ex parte in fumũ conuertatur, vt vult iste nugator.

Sed quoniam hæc ipsa principia ad metallorũ generationem Chemistę accomodare nituntur: de iis quoq; hac oblata occasione (cum tua bona venia, lector beneuole) tametsi præter intentum, aliquid dicendum videtur. Neque enim nos latet Chymistas vno ore omnes materialem causam metallorũ proximam & propriam constituere mercurium & sulphur: efficientem verò calorẽ subterraneũ & cœlestẽ, qui ꝑcoquit & permutat terrenũ & aqueũ sulphuris & hydrargyri, eáq; miscet & cõponit ĩ venis terrę. His ritè ꝓportionatis, scilicet

virtute cœlesti & terrestri in materia existente, virtus formatrix efficax est ad subigendam materiam metallarem, atque informandam. Quia (inquiūt) Cœlum est pater, Terra, mater metallorū, intra sua viscera gestans ea tā quam fœtum.

Et hac symmetria (aiunt belli & acuti Chemistæ, qui se Philosophos iactitant) res eiusmodi disponi ad metallorum omnium generationem. Quin & ipsi egregii sanè naturæ æmulatores, (quò facilius aurum & argentum aucupentur & emūgant) aliis metallis inferre conantur metamorphosim, & omne metalli genus in argentum & aurum se inuertere & transmutare posse impudenter gloriantur. Sic enim sua imperfecta, quæ vocant, metalla ad finem perfectionis & complementum perducere nitun-

nituntur arte chymica, calcinando, ſoluendo, ſcilicet elementa, ſeparando, coniungendo, putrefaciendo, coagulando, cibando, ſublimando, fermẽtando, exaltãdo, augmẽtando, proiiciẽdo, quæ huius Cabalæ vſitata ſunt vocabula. Sed eiuſmodi metallorum ſubſtãtialem tranſmutationem fieri negamus. Accidẽtia quidem mutari poſſe fatemur, quæ tamen nomen & definitionem rei non immutãt ſicut ſubſtantialis tranſmutatio, quemadmodum ab Ariſtotele demõſtratur. Hac enim Alchymiſtarum operá, quæ in terræ venis adhuc impura & commixta erãt, puriora reddi poſſe concedimus: attamen quod ex duobus pluribúſve inter ſe commixtis, cupro nimirũ, ſtanno, plumbo, ære, hydrargyro & auro conflatur: opus non v- 1. *Phy*

nius quàm alterius nomine potius est designandum: sed mixtum quidem ex iis omnibus est. Et mixta, impura, & fucata res: &, vt veriùs dicã, mira impostura, qua quispiã improbus abuti facilè potest ad cudẽdos nũmos adulterinos: quod & sępenumero fieri videmus. Id cùm priscis sapiẽtibus ac Iurisconsultis probè cognitũ esset, cõstitutis corporum pœnis & bonorum proscriptionibus, hanc artẽ colentes tanquam illusores, fraudulentos, ac toti reipubl. perniciosos, regnis & prouinciis excluserunt. Quoniam tamen hodie (vt audio) eorum infinitus excreuit numerus, monitos illos velim, desinant tum aliis tum sibiipsis imponere: dum enim æs, cuprum stannum in argentũ & aurum, quotidianis ac nocturnis diurnísque sufflationibus inuertere, in-

Canon Episco. 26. quæst. 5. desumptus ex Concilio Acquerensi, dũ recenset diabolicas & magicas artes.

incautísque & indoctis ita illudere conantur, tẽpus interim frustrà conterunt, oleúmque & operá perdunt, ridiculósque etiam pueris ipsis sese præbent, quòd se opinentur id arte efficere, in quo natura ipsa defecit. Vnde meritò Albertus cognomine Magnus, rei metallaris atque naturalis indagator solertissimus ista irridet, atque ita firmis rationibus demõstrat, vnicuique metallorum speciei propriam & peculiarem esse formá, quæ trásmutari minimè possit, vt alia demonstratione non sit opus. *in tract. 3. cap.*

Sed age, demus, si ita placet, hydrargyrum in stãnũ, vel plumbũ, æs, argentũ, in aurũ cõuerti posse (quod prorsus ĩpossibile est) quid hoc ad hominis corpus cõstituendũ, sanitaté consequendá, vel morbos efficiendos cõfert? Cur hæc in

homine considerranda potius quàm quatuor elementa & humores? „Quia (inquit) vltima sunt in resolu- „tione, dum corpus humanum Vul- „cano dicatum est, & fumus, flamma „& cinis, quæ effecta sunt mercurii, „sulphuris & salis, sensibus nostris „tantùm subiiciuntur, & deprehen- „duntur. Arguta sanè ratio, & tanto Philosopho digna: qui principiorũ suorum imprudens alia principia constituat. Si enim mercurius, sulphur & sal in fumum, flammam & cinerem reducantur hęc tria, non illa esse principia constituere necesse fuit. Nec etiam hominem pluris facit, quàm saxum aut quercum: nihilóque ab illis distinguit, prætterquam quòd hominem suam habere materiam dixit ex perfectiore limbo. Qua voce apud authores clasſicos, vestis circulive extremitas signi-

ſignificatur. Quid hîc ſibi velit planè ignoro. Hoc vnum ſcio, infinitis etiam aliis vocabulis nuſquam vſu receptis, perperam abuti: & quæ vſitata ſunt in ſignificationes inuſitatas nulla ratione detorquere. Qua de re ſæpe conqueritur Gal. aduerſus Theſſalum & alios ſui temporis imperitos, quòd nimirum inani nominum vſurpatione vterentur, cùm nihil apertum, nec verum, nec rei propoſitæ congruens dicerent.

Sunt autem qui ea quæ antè retuli, & pleraq; alia exiſtimẽt non de veri hominis corpore, ſanitate, morbo, & morborum cauſis ſcribi ab ipſo, ſed ad Lapidem philoſophicũ, quẽ Microcoſmum appellat, referri: voluiſſéque illum eiuſmodi figmentis, ſuam ſpagiricam artem adũbrare, & imperceptibilem (niſi filiis ſcientiæ) tradere. quò interim igna-

ris fucũ faciat, & chymericas artes se tractare demõstret. Sed quorsum apud eum authorẽ tam sæpe, morborum, causarum morbificarũ, ac symptomatum (quę passim confundit) fit mentio? Cur bilis, melancholiæ, pituitæ, apoplexiæ, febris quartanæ, colici doloris, podagræ & reliquorum corporis nostri affectuũ tam frequenter mẽtionem facit? Nihil enim istorũ ad hũc morosophũ lapidẽ efformandũ valere potest.

Sed omissis his, de proposito nobis affectu tãtùm cum eo nunc agamus. Nam & hîc suam satis probãs inscitiam, causam morbificam cum morbo cõfundit: dũ podagrã nihil aliud esse existimat, quàm sulphur: » cùm aliàs causam huius affectus sul » phuri tribuere cõtentus fuisset. Sul- » phur enim ait podagræ tumorẽ es- » se: quẽ de podagra corpus podagrę vocat:

Libr. de podagra i. para.

vocat: illúdque esse minerale saxũ «
vel sal glaciale, siue congelatũ: atque «
tot esse ipsius podagræ species, quot
sint saliũ differentię, quarũ septua-
ginta octo esse, nimiùm accuratè cõ
tendit. Nec tamẽ earum distinctio-
ne opus esse, ad curandam quálibet
huius affectus speciem, sed vno
collyrio omnes se curaturum, reie-
cto omni pudore, gloriatur. Aliquã- "
do huius affectus causam esse vult "
mercurium, eúmque fixum, quem "
præcipitatum vocat. Nam quòd dif"
fluit, inquit, atque distillat hydrar- "
gyrum, subitaneã mortem adfert: "
quod sublimatum est, maniam & "
phrenitim parit (quibus certè mor- "
bis Paracelsus ipse perpetuò labora
uit). Sic enim cõstat ipsum sibi nõ cõ
stare, adeóq; sui immemorẽ tria sua
rerũ vniuersarũ principia euertere:
cùm res vna & eadem esse dicantur,

non diſtincta. Quid mirum ergo ſi inconſtans eſt in podagræ ſpeciebus conſtituendis, vt ſui oblitus, nũc duas, nunc tres, nunc etiam plures vel infinitas conſtituat? Portentoſis
» enim vocabulis aliam ſalſam, aceto
» ſam, pōtagioſam, acutam, amaram,
» acrem, nitroſam, vtricoſam, perſica-
» rioſam, aluminoſam, tartareá appel
» landam putat: non ſanguineam, bi-
» lioſam, aut pituitoſam, non calidá,
non frigidam neque humidam: vt fecere eruditiſsimi quique tum veteres, tum etiam recentiores. Illis ineptiis adiungenda eſt diſcipulorum ſententia, vt quàm bene cum Paracelſo ſapiant vnuſquiſque intelligat.

Iſti Arthritidis cauſam eſſe ſtatuunt tartarum quoddam ventriculo hærens, ac ipſius tunicis (vt in dolio fæcem vini, aut oleariis vaſis a-

mur-

murcam) infarctum, quod certis periodis in partes, quæ in corporis habitu positæ sunt, & articulos ipsos deponatur, illúdque lõgo medicamentorum potentissimè attenuantiũ, aperiẽtium, ac detergentium vsu, foras deturbandum prædicant. Atque in hanc, quam temere polliceri audent, curandi facilitatem securitatémque non verentur sua adhibere medicamenta, arte chymerica parata, quam chymicam & pyrotechniam appellant: qualia sunt oleum de vitriolo, tartaro, antimonio, aliáque eiusmodi, quæ verè & sola morbos omnes curare impudentissimè proponunt. Scilicet in eo non minus errant, quàm in constituendis morborum causis, quarum sunt penitus inscii & rudes.

Nam, vt de ipso, quod in vẽtri-

culo contineri aiunt, tartaro primùm dicatur: Quis vnquam exiſtimabit id poſſe fieri, cùm ipſa anatomes peritia aliter nos doceat? ventriculum ſcimus inſtrumentũ à natura comparatum ad cibos tũ ſuſcipiendos, tum in chylum commutandos, propter vſus aliarũ corporis humani partium maximè neceſſarios. Vbi autem ipſe ventriculus ſecundum naturam ſeſe habet, nuſquam tartaro illi quidpiá ſimile procreabit, quãtumuis craſſos & cõcoctu difficiles cibos admiſerit. Siquidem ipſius chyli probè elaborati partes ſunt duæ: vna tenuis, altera craſſa, & terreſtris: vt & in alia qualibet alteratione ac concoctione. Quod tenue eſt, ad totius animantis nutritionem natura ſubminiſtrat: primùm quidem per venas quas me-

ſa-

ſeraicas vocãt, ipſi iocinori ſangui ficãdi munus habenti: deinde per alias venas reliquis partibus alimentum impertiens. Quod verò craſſum eſt & limoſum, mutatum in fæces in inteſtina per ecphyſim ab ipſa expultrice ventriculi facultate protruditur: nihílque iſtiuſmodi quod naturam tartari referat, aut hoc nomine dignum ſit, contineri in ventriculo poteſt citra animantis iacturam. Si verò ipſi ventriculo præter naturam aliquo affectu laboranti, hoc euenire quis contendat, quánam ratione id demonſtrare ac confirmare poterit? Nam ab aliqua intẽperie ventriculi illud fieri oporteret. Sed nulla ventriculo cõtingere poteſt caliditas aut frigiditas tanta, quæ humores ventriculi tu-

nicis infarctos cogere posſit in tantam duritiem ac ſiccitatẽ, qualem in iſto tartaro videre eſt. Non enim ipſemet vẽtriculus, hiſce intemperaturis malè affectus, ipſo chylo aut eodem in ſanguinẽ quodammodo immutato nutriri poſſet, neque minima quæuis portio ipſius chyli ad hepar ob inſignes & inexpedibiles venæ portæ obſtructiones perferretur: vnde totũ corpus breui atrophia corripi eſſet veriſimile: cùm hęc materia ita tenax, dẽſa & ſicca, omnibus tum ventriculi tum ſuperiorum inteſtinorum tunicis ſuperinducta eſſet. Nam vndique continua foret, vt ipſum in dolio tartarum. Si porrò ipſius ventriculi caliditas effectrix cauſa extiterit, quid quæſo de hepatis ac totius corporis tẽperamẽ-

to pronuntiandum erit? Nam ſum mè calidum & ſiccum in ſuo gene re eſſe oporteret, ita vt ne temporis quidem exiguo ſpatio animás conſiſtere poſsit. At verò plurimùm pituitoſi, excrementoſi & ſenes præ cæteris hoc morbo affici ſolent: quorum tamen ventriculi frigiditas quãtumuis inſignis hoc idem efficere nequit: cùm ipſius actio ſit propria cibos in ore præmanſos & contritos concoquere, ac ſuo calore inſito in chylũ & materiam cremori ſimilẽ commutare. Neque præterea vẽtriculo maior frigiditas contingere poteſt, quàm ipſi veſicæ: in qua nihil quicquam tale vidiſſe ſe quiſquam ana tomes peritus auſus eſt ſcribere, neque effari. Calculos quidem ob excremẽtorum pituitoſorũ & craſſorum copiam ibi generari, nemo

non nouit, quòd vesica sit ad id destinata, vt tanquam impurum vas & ignobile, à nobiliorib. ac principibus dissitum, multorum excrementorum sit sedes & receptaculum. At ipse ventriculus à principibus ferè omnium primus, nunquã tale quidquam genuit ac protulit, tametsi à multis, & non vnius speciei humoribus impleri ac affici dicatur: vnde varia illi contingunt symptomata: vomitus, nausea, fluctuatio, ructus, singult⁹, inappetentia, boulimos, & infinita propè eiusmodi, quorum quidem omnium causas ipsis corruptis humoribus, necnon excrementis, nõ tartaro periti Medici ac corporum dissectores ascribunt.

Quid verò si concedatur tartarum illud fieri in ventriculo, & illic prius inhærere? An idcirco Arthri

thritidis efficiendæ materialis cau ſa eſſe poteſt, cùm ad articulos deferri neceſſe ſit, antequam Arthritis fiat, & dicatur? Sed quónam pacto tam repentè poſsit noxius ille tartareus humor in ventriculo concretus primo quaſi inſultu & quaſi momento, ex ventriculo in extremas corporis partes, in manuum, coxę, genuum, pedúmque articulos & iuncturas ita ſecerni atque deponi? vt videre eſt in hoc affectu, quo ipſi ægri aliquando non præuiſis, neque perceptis quibuſdam ſignis, vigilando, ſomniando, edendo, quieſcendo, derepente capiuntur. Vndénam cōperta tā expedita permiſtarū rerū ſecretio atq; depoſitio? Quòd ſi neque id de ſola pituita craſſa lentáque adhæreſcente in ventriculo aut bile atra quis

dícere vix audet? Abſurdum certè dictu eſt tartarum hoc viſco glutinoſius, gypſo tenacius, ſaxóque durius, per vias adeò ſtrictas & anguſtas à rebus aliis humidioribus quas in corpore videre eſt, ſecretum, in has partes defluere.

Quum igitur lippis & tonſoribus manifeſtiſsimũ ſit, quàm malè illi tradant & conſtituant ſua rerum principia & effectrices morborum cauſas: nunc ſupereſt vt demonſtremus in quem vſum profutura ſint, quibus vtũtur, remedia, vt integra peragatur fabula.

Quàm malè compoſita & præſcripta ſint Paracelſiſtarum in hoc affectu, & reliquis aliis morbis remedia.

PErhibent Medici omnem intemperiem, ſi immodica fuerit, partium functiones euertere: medi-

medicamentorum arte chymica paratorum vſum, præſertim verò eorum quæ ex metallicis parãtur, magnas inducere intemperaturas quotidiana experientia docet, atque idipſum ratio manifeſtiſsimè probat. Ergo vix vllus eorum debet eſſe vſus in medicina, ac potiſſimum ad partium internarũ morbos, vt quæ ab eiuſcemodi medicamẽtis noxam promptiſsimè trahant. Enimuero metallicorũ quãplurima rebus conſtant naturę noſtræ aduerſis: atque adeò ſagax & prouida rerũ opifex natura quæcunque vtilia exiſtimauit, vitæ humanæ incolumiter conſeruandę, aut ſanitati amiſſæ, reſtituendę palàm eſſe, & foras in omnium animalium cõſpectum venire voluit: vt plantas, ſtirpites, ſemina, fructus, & reliqua eiuſmodi, quorum

quædam alendorum animalium gratia, alia medendorum morborũ causa, vt idonea & propria suppeditauit. Quæ verò humanæ naturæ tum alendę, tum medicandę nullo modo conuenirent, tanquã inutilia & naturæ nostræ inimica, in profundissimis & abditissimis terræ penetralibus condidit. Et certè infinita latent in terræ visceribus lapidum metallorúmque genera, quæ proprios, & eos quidem maximos habẽt vsus, sed non eos quos illi tantopere prædicãt: dum ex his liquores & quintessentias trahunt, quas nullo discrimine tùm sanis, tum ægris potandas exhibent. In eo profectò (vt & in plerisque aliis) prisci prudentiores fuere; qui eiusmodi vix vlla ad vsus medicos, ac potissimum in partium internarum morbis

bis vnquam adhibuerint. Neque in iis arte chymica emendandis frustra vnquam elaborarunt. Quod tamen falsò tradunt Chemistarum plerique ad maiorem artis suæ commendationem. Ex his enim nõnulli Mercurium Trismegistum, Mosem, Salomonem, Platonem, Aristotelem, Albertũ Magnum, Auicennam, necnon alios præstantissimos sibi socios adhibent, & Chymistas fuisse suo more mentiuntur. Quod tamen nullius probati authoris testimonio probari vnquam poterit: aliàs verò seipsos suæ pręclaræ artis authores (vt noui quid & laude dignum præstitisse videantur) non minùs impudenter iactitant, atque profitentur. Sed ne longiùs digrediar à proposito, nobis pluribus expendere fuerit operæpretium,

quãtùm incõmodi & perniciei adferãt eiuſcemodi ex metallis parata medicamẽta, vt & quęcũq; alia ſubſtantia tota & qualitatibus naturæ noſtrę aduerſis cõſtant, quãtumuis ab illis commendentur: vti vitriolũ, antimonium, auripigmẽtum, ſublimatum, tartarum, hydrargyrum, chalcantum, gypſum, plumbum cerüſatũ, ſandaracha, & infinita propè alia, ex quibus olea, & medicamẽta naturæ grata, & vſitatis aliis tum meliora tum vtiliora ſe præparaturos, agyrtarum more, gloriantur. Talia illa eſſe indicat ſatis ſupérque maligna ea qualitas, quæ ex vapore & exhalationibus ſuſcitatis tum in fodinis, tũ in chymica prępàratione ſeſe patefacit. Etenim Chymiatros quoque iſtos & alios, qui frequentius & copioſius aliquantulum hos vapores ſiue per os, ſiue per nares
hau-

hauriunt,ita infeſtat, vt ſæpenume ro tremorem capitis,& membrorū, paralyſim,ſpaſmum, vertiginem, ſo porē, phrenitim, maniam inducat. Quod quamplurimi Chymici ſuo magno malo experti ſunt. Ita videtur Chymicorum præparandi modus,ab illis tantopere commendatus,potius ad illudendos & faſcinā dos homines,& ad effingendum il lum lapidem moroſophicum confi ctus, quàm ad profligādas miſerorum mortalium ægritudines: quod eorum verba portentoſa & ignota ſatis demonſtrant & probant.Nam cùm(vt omnibus naturæ ſcrutatoribus notum eſt) orta atteſtentur ſuis principiis, Quicquid à venenatis extrahitur metallis, venenatum & na turæ noſtræ inimicum vt ſit neceſſe eſt. Quod ſi quid eſt eiuſmodi, illud maximè cōtineri in tenui ac ſpi-

rituoſa eorum ſubſtantia conſtat: quòd teter eorum vapor exitium ci tiſsimè adferat. Et certè ſpirituoſa magis quàm corporea eſt eorum actio: quò fit vt breui momento poſſint malæ qualitatis diffuſione in vniuerſum corpus impreſsionem facere, vti probat Galenus. Sic, aiunt, veneficos & perditiſsimos iſtos homicidas, qui clàm veneno inſidiantur, aliis ſua comparare veneficia, vt ſolis attractis vaporibus auráque venenata derepente è medio tollant. Ars autem Chymica quinteſſentiam, vt aiunt, id eſt, quintum quoddam elementum & ſpirituoſam ſubſtantiam, in qua tota vis rei continetur, ſeparat & detrahit ex aliis elementis. Ex quo efficitur ipſam quinteſſentiam à venenatis detractam, ſubitaneam mortem, aut certè graue periculum adferre.

Libr. 6. De loc. affect. cap. 5.

re.

re. Ea ſiquidem non minimam conſequitur peruadendi facultatem ex vini ſpiritu, vel liquore alio tenui, quibus ſua Chymici madefaciunt metalla ac medicamenta.

Conſtat enim, & venena ipſa quoque medicamenta vocari, quòd eo nomine continetur omne, quòd adhibitum naturam eius, cui adhibitum eſt, mutat, & id quod venenũ appellamus Græci φαρμακὸν dicunt, ita vt apud illos tam medicamenta vtilia quàm noxia hoc nomine contineantur. Qua quidem certè ratione concedimus Chymicis quæ parantur ab illis, medicamenta ſeu pharmaca vocari. Quæ eò deterius agunt & afficiũt, quo tenuioris ſunt eſſentiæ, & celerius permeant. Quamobrem ab vſitata parandi methodo, & idoneis doctorum præſcriptionibus non eſſe recedendum ſuademus, ſi quis tutò

& feliciter ſibi conſultum voluerit. Adde quòd iſtiuſmodi medicamenta vi ignis, & magno diuturnóque incendio acriora & magis cauſtica fiunt, ventriculo ingrata, noxia, ac plurimùm violenta. Neque id mirũ: cùm ad ipſum quod prędicant, tartarum, ventriculo hęrens, attenuandum, incidendum & foras deturbãdum, ſiue per vrinas, ſiue per ſudores, paràta ſint. Quod citra ſummũ vitę diſpendium fieri vix ac ne vix quidem poteſt. Nam quot, quantíque animam efflarint, ſumptis talibus remediis, vaſe rupto in pectore, pulmonibus, corde, ventriculo, aut viſcerum aliquo, quis ignorat? ſic etiam aluo immodicè turbata perierunt aliqui conuulſi, aut certè mente alienati. Et tanto audaciores illi ſunt in exhibendis talibus remediis, quanto imperitiores.

Quum itaque partes aliæ in alias minùs robuſtas per hunc affe-ctum ſeſe exonerent, via atque du ctu idoneo, per quem humores fe rantur opus eſſe, omnibus in cõfeſ ſo eſt. Ac is quidẽ paratior & expeditior fit medicamẽtorum aperientium vſu: qualia ſunt quæ vrinas proritant, διουρητικὰ Græcis vocata, & διαφορητικὰ, quòd ſudores moueant. Quorũ quamplurima haud minùs calida ſunt, quàm quæ potẽ tiſsimè purgant, ab iſtis Chymicis tãtopere improbata. Et ſic humor ad fluendum paratior, viam latam atque patentẽ faciliùs ſubit, quàm anguſtã ſtrictámque. Vnde aſtringentia & roborantia, non meatus & vias reſerantia medicamẽta, Arthritide laborantibus præſcribenda eſſe, omnium tum philoſophorum, tum medicorum communis

& conſtans aſſertio eſt. At iſti boni medici oleo vitrioli per nouum alẽbicum expulſo, antimonii, tartari, ſulphuris, necnon præcipitato, & aliis arte chymica paratis, non foris adhibitis, ſed gutture pleno hauſtis, hoc morbi genus vt alia ferè omnia, ſe curaturos infœliciter & tamen audacter promittũt: tartaro foras per vrinas vel ſudores deturbato, nõ per ſedem. Quia quæ purgant (inquiunt) medicamenta, magis calfaciunt & exiccant. Quaſi verò nulla ſint purgantia medicamenta, multò minus calida, quàm diuretica, & ea præſertim quibus vtuntur noui Chemiſtæ, copioſiſsimo igne ac vehementiſsimo incendio extracta, adeóque merum empyreuma redolentia, ad totius naturæ compagem, & robur diſſol-

ſoluendum, ad ægros in ſummam ſiccitatem, & horridum maraſmum, ac tandem ad interitum perducendos. Eius rei fidem faciunt non pauci infeliciter tractati, qui ad peritos Medicos quotidie confugiunt, vt reſarciant ac inſtaurent, quæ ab iſtis laruis accepta incommoda habẽt.

Neque verò Medicis & doctis Myropolis incognita eſt vera & expedita eliciendorum liquorum ratio,ex quibus egregia parant remedia,ac etiamnum ſalutifera hominum vitæ ac ſanitati tuendæ auxilia, ídque quàm Chymicorũ ſolertiore induſtria, & ad pręſtantiores & longè efficaciores vſus. Nec etiam hoc deſtillationis inuẽtum ad iſtius chymicę artis profeſſores referendũ eſt: vt qui cuiuſlibet artis medicę partis rudes& imperiti,

veluti anatomicæ ſpeculationis, ſimplicium medicamentorum facultatum examinis, itémque morborum omnium cauſarum ac ſymptomatum veræ cognitionis, nihil quidquam certi & commodi conſtituere poſſunt. Reiectis verò & ignoratis cuiuſlibet artis principiis, quicquid ſuperſtruxeris corruet.

Iampridem norunt boni ac periti tũ Medici, tum Pharmacopœi, aquas ſtillaticias ex plantis & aliis quibuſuis vegetabilib⁹ elicere, & ad ipſius medicamenti conſeruationem, & ad pocula palato gratiora offerenda: vt cùm in ardẽtibus febribus, & æſtatis feruoribus potus nobis parãdus eſt, qui ſitim optimè extinguat, & guſtũ potantis obléctet: proculdubio felicius ac commodius id effici poteſt eiuſce-

ſcemodi ſtillaticiis liquoribus, additis iulepis violarum, roſarũ, aut ſyrupo acetoſo ſimplici vel cõpoſito, aut citrei vel limonij mâli ſucco, aut vino malorum punicorum, quàm cum alio quouis decocto, quantumuis rite parato.

Quin & à Pharmacopœis noſtris diligentia longè cautior & fidelior iſtorum Chymicorum ſitibundo & inexhauſto labore adhibetur, vt ſcilicet eas aquas probè & religioſè conficiant, non ex veſica plumbea, vel ænea, aut aliquo alio metalli genere conflata, aut terra tegulari cũ tot carbonibus, & tam vehementer extructo igne, ac tot ſumptibus fructus penè nullius, ſed ex balneo feruẽtis aquę, quod Mariæ vocant, Græci diploma, vel ſuper vaporibus extrahũt: paríque modo reſtaurantia ex re-

bus naturæ amicissimis, & analogia quadam respõdentibus parãt, quæ & alunt, & morbis aduersantur, vires reficiũt, atque instaurãt.

Idémque ex his iisdem etiam rebus parãt nostri ad oculorũ morbos collyria, ad capitis dolores oxyrhodina, ad cordis & iocinoris affectus epithemata, ad dolores quoscunque anodyna, & ad animi deliquium odoramẽta: qualia quę fiunt ex floribus rosarũ, pomorũ arantiorũ, myrti, lauend. rorism. & aliorum simpl. quorũ flores suauiter spirant: non à rebus fœtidis & malè olẽtibus, vt sulphure, antimonio, calcanto, hydrargyro, auripigmento, quorũ olfactu & aura spirãte exanimantur propemodũ qui horũ Cyclopũ antra subierũt.

Pręter eiuscemodi stillaticios liquores, olea suauissima & ad multa

ta ſymptomata ſedanda noſtri cõficiũt è vulgari cinnamomo, caryophyllis, nucibus myriſticis, maci: atq; ſeminibus, aniſi, fœniculi, carui, melãthii: baccis lauri, iuniperi: ex flor. ſaluię, ſtœchad. lauẽdulæ. roriſm. betoni. atque ſimilib. Quorum omnium verã rectámque parandi rationem cum & Medici & pharmacopœi habeant: ſic eorũdẽ ſecurũ & perutilẽ vſum docent & præſcribunt. Metallicorũ autem vſus vtiliſne ſit, necne hi poſtea diſcent qui periculum fecerint.

Neque tamen tantũ tribuendũ eſt aquis igne extractis, vt Medicorũ decoctis ſua laus & cõmẽdatio detrahatur: quẽadmodũ iſti impudenter faciunt, qui herbarũ & aliorũ medicamentorum decocta, vel diluta non pluris ſe facere aiunt, quàm lacuſtrem, paluſtrémve,

aut pluuialem aquam. Qua in re ipſorum inſcitiam haud ſatis mirari poſſum, qui neſciant veteres Medicos potiones ſuas ex dilutis vel decoctis herbarum, fructuum, florum, ſeminum, radicũ, & reliquorum, ad curandos corporũ noſtrorum affectus cum fœliciſsimo ſucceſſu vſurpaſſe, ſtillaticiorũ liquorum nulla facta mẽtione. Et fortè exiſtimarunt, nec præter rationẽ, etiam decocta atque diluta diſtillatis liquoribus eſſe longè præſtantiora, quòd in diſtillando non modicùm ſubſtantiæ deperdatur, & in auras euolet. Quò fit vt nõ pauci medicæ artis peritiſsimi ad hũc vſque diem decoctis & dilutis vti malint, nẽpe quia conſtat apertiſſimè longè plus virium in iis contineri, quàm in aquis ſtillaticiis. Quinetiã ad decocta noſtra accedere

dere vel inuiti coguntur egregii iſti artifices, poſtquam ex ſuis tam præclaris remediis nihil vtilitatis & commodi fuerunt conſecuti.

Quàm igitur ab omni ratione aliena ſit de principiis rerum naturalium Paracelſiſtarum ſententia, quàm inepta & abſurda de morbis, morborũ cauſis, & curandi arte, & medicamentorum præparatione, quam profitētur doctrina, iam nemini obſcurũ puto. Idque maximè, ſi quod de ea re ab illis traditum eſt, cùm priſcorũ & huius ætatis doctiſsimorum authorũ ſcriptis conferatur. Quare expoſita, & ſatis, quantùm puto, refutata illorum ſententia, ſupereſt vt noſtram de Hippocratis & Galeni & aliorum probatiſsimorum authorum mente depromptã tradamus.

De differentiis huius affectus, & signis propriis cuiusque humoris hūc ipsum constituentis.

Cap. 4.



Vónã modo humores insint nostris corporibus, & elementa nostrum corpus constituentia, quoad sensus, dicantur, suprà ex præstantissimorum authorum iudicio & ratione à nobis satis demonstratum esse videtur. Iisdem etiam sanitatis ratio, cùm secundum naturam sese habent, assignatur: veluti cùm à naturali cõstitutione recesserunt, morbi causæ appellantur: quemadmodum partibus corporis sanitas vel morbus attribuitur: & functionibus corpus nostrum gubernantibus symptomata omnia. Hæc enim tria præter naturam, nempe

nempe morbus, morbi causa, & symptoma, ad tria corpus nostrum constituentia referuntur, eáque destruunt, & interitus nostri authores esse censentur. Sed vt vnus idémque morbus sæpenumero varias sortitur appellationes, atque in species diuidatur: ita & causa vnius morbi varia & multiplex esse potest: quod scire non parum refert, si morbi curationem ritè consequi velimus: etsi hoc planè negant Paracelsistæ.

Sic igitur Arthritis varias complectitur differentias, scilicet pro partium varietate quas affligit: vnde aliàs chiragra, Ischias podagrá γονάγρα, à manu, coxendice, pede, genu necnon aliis partibus quibus insidet humor appellatur. Alia ex seminis vitio

orta, & à parentibus contracta, ob id hæreditaria. Alia ex morbi alicuius ſpecie, quemadmodum ex lue venerea. Alia, eáque maxima differentia eſt, quæ petitur à materia ex qua fit. Nam quædam à crudo, craſſo & pituitoſo humore enaſcitur, quæ frigida eſt: & hæc frequentiſsima. Alia, eáque frequens, à bile & ſanguine, quæ calida eſt: frequentiſſima quæ ex mixtis humoribus ſeroſíſque recrementis: rara ex melancholia. Sed earum quæque propriis notis atque ſignis diſtinguenda: quòd vnicuique morborum ſpeciei propria debeatur curatio.

Arthritidis ſanguineæ ſigna. Vbi igitur à ſanguine fluxio concitata eſt, omnia phlegmones ſymptomata manifeſtiſsima conſpiciuntur, vt tumor magnus, durus atque renitens, rubor, pulſatilis calor, feruor, tenſiuus dolor, & quęcunque

phleg-

phlegmonem consequi solent. Maximè verò si adolescentię & iuuentuti accesserit sanguineus corporis habitus, vsus eduliorum, quę & laudati sint succi, & maximè alant. Tempus vernum, aut regio temperata, leuis & minima exercitatio. somnus mediocris: suppressa quędam consueta euacuatio, per menses, mariscas & hęmorrhagiam, vel purgantis medicamenti intermissio. Totum corpus cādidius, aut calor blandus, mitis & halituosus, tensio vasorum in toto corpore plenorum conspicua, venæ potissimùm sanguine turgentes, αἱματοφλεβοιστάσεις dictę, vrinæ fuluę, & rubrę, mediocri crassitudine præditæ, & aliquid in medio quasi suspensum habentes, instar nubeculæ. Hæc omnia hunc morbū à sanguine ortum significāt: qui cùm sit omnium humorum temperatissi-

Lib. 3. et 3. prognos. & commēt. 27. & 30 Sect. 3. Aphor. & lib. 1. sanit. tuend. De nat. huma.

mus, ſequitur vt qui hoc modo affecti ſunt, neque refrigerantia, neque calfactoria valde præſidia adhiberi ſuſtineant, & per circuitus irritatione quadá exacerbetur dolor, potiſsimùm matutino tépore.

Bilioſa Artbriti nota. Cùm verò bilioſa fluxio infeſtauerit ægrum, color ſubpallidus ac ſubrubens exiſtit, qui ſi digito prematur, cutis rubicundior euadit: quia nimirum portio ſummam cutim occupans, tenuior cùm ſit, facilè effugit. Craſsior verò ac rubicundior ſanguis, qui ſub cute latebat, redit ad locum digito preſſum, flauo ac bilioſo humori mixtus, vt in eryſipelate facilè videre eſt. Dolor citra magnum tumorem, diſtentionem, aut grauitatem cum vehementiſsima ac feruentiſsima caliditate punctorius, acutus, lancinans

cinans ac deürens percipitur, & is plurimùm mitescit, adhibitis vehementer refrigerantibus medicamentis, siue actu, siue potentia talia existant. Augetur verò contrariis, ac ferè tertio quoque die exacerbatur vnà cum febre, potissimùm circa statum, ac valida siti. Vrina cernitur subflaua, tenuis, quandoque acris, & mordax cum paucis contentis. Pulsus veloces, frequentes, magni ac vehementes. Biliosus idem vomitus, viridis & flauius cum amarore vehementi. Aluus quoque sicca, stercus paucum, acre & vrens existit: necnon flauum, pingue, & torminosum. Is si accedat biliosus corporis habitus, & tangentibus calidus, siccus & mordax, gracilis, hirsutus, cũ venis & arteriis ampliorib. colore faciei & corporis

2. De tẽpera. & in Art. medi.

reliqui ſubpallido, flauo, nigelſo, aut ruffo. Reliqua quoque ſi conſentiant, ætas iuuenilis omnium ætatum bilioſiſsima, victus ratio bili gignendę idonea ex amaris, acribus, ſalſis, & multum calefacientibus, exercitationes celeres, vehementes, frequentes in tempore & regione calidis cum inedia & pauco cibo. Ingentes demum curę, irę, vigilię, fatigationes, & quęcunque (vt vno verbo complectar) corpus exiccare, ac bilem gignere poſſunt, morbum à bile ortum ſignificant.

Arthriti. pituitoſæ ſigna. Si verò à pituita fluxio procedat, color haud multùm immutatus apparebit ſubalbidus, & qualis in hydrope cernitur, cum tumore ſcilicet molli, qui prementibus digitis facilè cedit. Dolor non perpetuò ſibi ſimilis, ſed vna eadémque die interdum vehemens, interdum ſat tolerabilis

rabilis,perpetuò verò circa noctem ſenſim exacerbatur,ac per plures horas perſeuerat. Vix verò vnquã planè intermittit, & ſi tumor non admodum excreſcat, & in altum tollatur. Iſthęc omnia ſimul cum totius corporis grauitate, facie ſubtumida,carne molli, tactu frigida & ſitu obſita, cute ex albo liuida, & plumbea:ætate ſenili, hyberno tẽpore, & aere quouis frigido & humido,ſimilíque victus ratione & ſedentaria vitæ conditione, ſomno longiore, pituitoſi humoris abundantiam demonſtrant. Adhęc vrina conſpicitur nunc tenuis, nunc craſſa,turbida,alias alba & aquoſa,deiectiones pituitoſæ,frigidiores, crudæ,albę,mucoſę,pulſus paruus,tardus & rarus accedit. Partium item omnium,& mentis ſegnities,atque grauitas, torpor, obliuio prompta,

ex quibus pituitam huius mali cau ſam exiſtere haud difficile intelle-ctu eſt, quemadmodum & in aliis affectibus pituitoſis, œdemate, leu-cophlegmatia, ophiaſi, alphis albis & alopecia, & eiuſmodi reliquis.

Cùm autem fluxio ab atra bile (quod raró contingit) oritur, dolor non tam vehemens neque acerbus exiſtit: ſed per circuitus, vt pluri-mùm, nempe quarto quoque die re petit, atque poſt meridiem ilicò mi-nùs, circa veſperam verò magis af-fligit. Adde quòd frigoris ſenſus quandoque adeſt, & locus in pro-fundo quaſi atteritur. Color partis liuidus, & ad nigrum vergens. His ſi accedat corporis macies naturalis, & conſtitutio melancholica, hirſu-ta, nigra, ſubruffa, frigida, ſicca, cũ venis anguſtioribus & pulſu duro, ſicco, humorem melancholicũ mor

bi

bi cauſam eſſe certius oſtendunt· Quemadmodum etiam vrina craſſa, nigra, fuſca, interdum viridis, liuida, interdum rubra, obſcura, cum eorundem colorum deiectionibus, & cibi appetentia corrupta, nonnũquam canina. Per ſomnum itẽ imagines mortis, cadauerum, tormentorum, lapſus veluti è præcipitio, dæmonum & rerum horrendarum. Aſpectus quoque fixus & toruus, atque formidabilis. Preterea morbi melancholici ſi aliquando pręceſſerint, vt cancer, vlcera phagedęnica, varices, hęmorrhoides, ſcirrhus, alphi nigri, pſora, lepra, melancholia morbus, lienis tumor atque durities, & alii eiuſcemodi ex melancholico humore oriundi affectus. Maximè verò, ſi victus ratio anteceſsit ex alimentis & eduliis bilem atram vel melãcholicum humorem gignentiu-

bus;& laſsitudines immodicæ, regio frigida & ſicca, tempeſtas autumnalis, & cōſimilis aeris ſtatus, cum declinante ætate, tum melancholicum humorem Arthritidis cauſam iure dicendum eſt. At fortè quis obiiciet, quòd ſtatuerit Gal. lib. 10. de Compoſitione medicamentorum, Arthritidem ſolùm à ſanguine præſertim bilioſo & pituita gigni, Arabes autem à melancholico, huic rationi innixi, quòd oſſa & ligaméta, in quorũ cauitatib. & acetabulis morbi ſedes eſt, humore melancholico nutriũtur. Verùm cùm duplices ſint cauſæ internæ, nimirum antecedentes & coniunctę, vt ab omnibus receptum eſt, Galenũ eò loci de cauſa antecedente locutum nobis intelligendum eſt. Hæc verò materia Arabum coniuncta dici poteſt.

Sæ-

Sæpiſsimè verò ex prædictorũ humorum complicatione fluxio fit, & fluxus fluxui ſuperadditur, & ex commiſtis diuerſique generis humoribus ſuboritur, cùm calidus frigido, aut frigidus calido cõmiſcetur, ac proinde dolores, colores, calores, & exacerbationes idẽtidem confunduntur: neque tumor cernitur ſimplex, nec ſemper ſibi ſimilis, ſed pro humorum mixtione. Aliquando phlegmonodes & eryſipelatodes, cùm œdemate vel ſcirrho, pro humoris ſcilicet exuperantis natura & modo: vnde imprimis animaduertendum nobis eſt, quis humor magis abundet, vt à quo maior etiam indicatio curationis ſumi debeat, reliquo tamẽ humore non neglecto. Porrò, vt difficillimum eſt, & in artis operibus laborioſiſsimum: ita

Signa Arthritid. ex humorũ cõplicatione.

omnium præstantissimũ, & ad curationem consequẽdam apprimè necessarium. Atque adeò eo etiã neglecto, vix medicamentis morbus expugnari, sed ne mitescere quidem potest: cùm propter causæ varietatem, tum propter morbi vetustatem, quæ tophis & nodis sese prodit, antequàm ab imperito & inexercitato morbus planè internoscatur. Hinc inde Paracelsistas plurimùm hallucinari cõstat, qui nulla distĩctione adhibita, quã libet podagrã, & quantumuis nodosam, aut inueteratã, nullo iudicio, nec vlla rectè curãdi, aut saltẽ medendi habita ratione, non sine proximi fraude, & certè existimationis suæ iactura se curaturos promittunt. Verùm si eius differẽtias seu species omnes quis probè teneat, absolutã quoque curationẽ cõsequi poterit, dummodò & ipse

officiũ faciat; & æger in omnibus ſe obſequentem præſtiterit, vti faciendum monet Galenus.

Sed non deſunt qui dubitāt vnde, quánam ex parte, & qua via ad articulos hic humor perueniat. Nō nulli enim hanc materiā extra caluariā eſſe poſitā, & à capite in ſubiectas partes delabi per ſummam corporis cutē exiſtimant: & ex venis quæ in corporis habitu poſitæ ſunt. Alii hunc humorē à venis maioribus (quales ſunt internę) ad habitum corporis propelli, atque influere aiũt. Harũ ſententiarũ quęnam potior habenda ſit, aliis iudicandũ relinquimus, cùm vtraque firmiſsimis rationibus ſtabiliri & cõfirmari poſsit. Nā qui à capite fluxionē fieri volunt, eo maximè nituntur, quòd materia pituitoſa, bili permixta, tāquā vehiculo quodā

in partes posteriores & spondylos colli per neruos deriuetur, vt Galeno placet lib. κατὰ τόπους, vbi de podagra loquitur. Occupat autem iũcturas eò delata, in quibus chordę & cartilagines sunt, & loca exanguia. Materia verò antecedens ab hepate calido & frigido ventriculo ad caput effertur: quia iis qui tali sunt temperamento, excrementa ad caput facilè transmittuntur. Quod indicant sic fieri capitis grauitas, quam multis accidisse animaduertimus ante paroxysmum. Itẽ somnus comatodes & profũdior, frigiditas quoque percepta circa humeros, dorsum & lumbos cum quodam quasi titillatu, quem dolor à tergo comitatur, aut certè cõsequitur. Contrà verò id negant alii: quoniam axioma sit physicum, & à medicis receptũ, fortio-

res

res partes, in debiliores, noxios humores & excrementa propellere. quæ quidem depositio transmissióque, fluxionis species iure dici potest. Idipsum in icteritia, tertianísque febribus facile videre est, atque in aliis etiá morbis, in quibus vitiati humores à visceribus ad corporis habitum protruduntur, tanquam per canales & iter cõsuetum à natura, nempe per venas & arterias, per quas simul alimentũ ad omnes partes peruenit. Atque illud verisimilius esse existimant quàm illud alterum, nempe per membranas & neruos ad articulos defluere hos vitiosos succos, bonis ac laudatis humoribus permistos. Earum sententiarum neutra conuenit cum Paracelsistarum illa tartarea: qui tartarum in ventriculo contentũ causam huius af-

fectus esse acerrimè contendunt.

Vt igitur diuersa est hæc nostra de Arthritide sentẽtia, ratio & causa, ab ea ex Paracelsicis tartaris deprõpta, ita dissimilis curatio, & pręparãdorũ remediorũ modus. Quẽ nos subnectimus, pręscriptis etiam formulis remediorum, nõ vt artis & doctorum Medicorum honori quicquã detrahatur, qui lõgè meliora & cõmodiora adiuenire possunt, sed vt discãt rudes & imperiti à probatissimis authoribus desumenda esse quæ ad inculpatam sanitatẽ cõseruandã, vel amissam recuperandã faciunt, quo bono nullũ maius homini accidere potest.

Cæterùm omnem Arthritidem (breuitatis necnon perspicuitatis gratia) in calidã ex sanguine & bile, & in frigidam ex pituita, & rarò ex melancholia, vel mixtam, nẽpe

ex

ex variis humorib. conflatā, distin guimus, ac illius tū pręcautionem, tū etiā curationē sic aggredimur.

De Arthritidis præcautione, & curatione vniuersali, necnon de quibusdam circa hunc eundem affectum obseruādis generalibus præceptis. Cap. 5.



ARtis medicæ ratio postulat vt medicus nō solùm affectus corporis omnes præter naturam cognoscat, & ægros ad naturalē statum reducat: sed etiam sanitatem illæsam & adhuc integram, sicut & recuperatā, quātùm potest, cōseruet. Est enim medicinæ finis, sanitas. Ideo quædam nobis præmittenda vidētur, antequā ad particularē cuiusque Arthritidis curationem deueniamus. Nimirū dolores podagricos vere & autumno magna ex parte

moueri:ac vere quidem, quod calore fundantur humores, ac in partes imbecillas & articulos protrudantur. Autumni vero tempore, propter ipſius inæqualitatẽ, dum vitioſi humores ex vſu crudorum fructuum coaceruati, ad eaſdem partes delapſi, hos morbos excitare ſolent. Hinc efficitur iis potiſsimùm temporibus Arthriticos eſſe euacuandos ad præcautionem, pro natura cauſarum duarum, vt prius ex Gale. ſentẽtia dictum eſt, hoc eſt pro imbecillitate articulorum, & redundantium humorum copia. Duplicem enim cum præſeruationis tum ſanationis ſcopũ medico proponi par eſt, humoris ſuperflui euacuationem, & partium imbecilliũ corroborationẽ, quarum vtraque varia exiſtit pro diuerſa laborantis partis natura, &

varia redundãtis humoris ratione.

Primus itaque totius negotii ſco pus in cauta victus ratione conſiſte re debet (citra quam ne ſani quidẽ diu abſque noxa exiſtũt) quam nos circa res non naturales imperare debemus: vt ſit victus temperatus ac contrarius cauſæ Arthritidem faciẽti, vt ſi magis pituita redundet, ei magis aduerſetur ipſa victus ratio. Idẽ de bile & reliquis ſentiendum. Vinum venuſque in qualibet Arthritide ſemper vitentur, ob cauſas ſuperiùs in illarum tractatione dictas. Aer quoque ſit contrarius cauſæ efficiẽti, ſerenus ac temperatus. Somnus mediocris, ſed diuturnior in Arthritide calida quàm frigida: non diurnus, nec ſtatim à cibo, itémque exercitatio & motus omnis nimius vitandus, multóque magis in bilioſa quàm pituitoſa. Quies enim illis *Victus ratio.*

præſtãtior. Animi pathemata, curæ, ſollicitudines, mœrores, ira, furor, excandeſcentia procul arcẽda, vt ex iã antedictis colligere licet, cùm demonſtratũ à nobis eſt qua ratione ſingula vel prodeſſe vel obeſſe poſſent, cùm ad præcauendum futurum morbum, tum ad iam factum ſanandum tutò, citò ac iucundè pro ſtatuto medici officio.

Sed quia ſæpe accidit vt corpus ſuperfluis iiſdémque vitioſis humoribus plenum, eorum partem natura vi excretrice ſua propellat in articulos, nonnihil ob eius imbecillitatem in profundiſsimis viſceribus moram facit, in quibus impactum obſtructionem ac putredinem parit: vnde febres accenduntur: Intermittentes quidem ſi in primis venis: Continuæ

verò,

verò, ſi in magnis humor putreſcens deliteſcat. At tunc artifici probato & perito febris potius quàm articularis morbi ratio habenda eſt, quòd ab eo quod magis vrget perpetuò auſpicandum ſit, vt vulgata fert Medicorum ſententia. Nam continua ſi fuerit, periculo vacare non poteſt: intermittens verò in continuam facilè tranſit, ſi congruis adhibitis remediis febri non proſpexerimus. Ea verò maxima ſunt & præcipua, ventris emollitio, & ſanguinis detractio, prout vires & ætas permittẽt, & exercitato Medico neceſſaria videbuntur. Poſtea humorum præparatio, ac demum eorũdem expurgatio: quod tamen cum ſolerti præmeditatione ſemper agendum, ne à medicamento purgante agitati humores

in partes imbecilliores defluant, aut aperientibus medicamentis excrementa ad iuncturas ferantur: & ita fluxione adaucta articularem morbum exasperent. Vnde præparantia & purgantia leuia sunt adhibenda: vel si efficaciora fuerint, illis mediocriter astringentia erunt adiungenda, quæ fluxioné ad articulos prohibeant. Interim tamen obstructiones viscerum reserent.

Medicamentorum eiusmodi ingens sylua apud probatos authores habetur, cùm ad humorum pręparationem, tum ad eorundem expulsionem: vt est mel rosatum, absinthium romanum, & ponticum, rosæ, plantago, lenticula aquę, cichoreum, intybus vterque, rhabarb. myrobal. syrup. rosa. laxa. aloe, cassia tamarind. & infinita alia, quæ pro vario ægrotantis temperamento hu-

moris ratione, & tempore morbi, ab exercitato & perito præſcribi po terunt.

Quòd ſi febris lenta fuerit & nõ valde infeſta ægro (nam ratione & doloris & inflammationis omni ferè articulari morbo cõiuncta eſt) adeò perterrere nõ debet, vt illi ſpeciatim proſpiciamus, quòd naturæ tantam vim & noxam non adferat, quin ſublata eius propria effectrice cauſa, etiam omni ex parte tollatur.

Supereſt igitur (vbi nihil à vero nobis propoſito Arthritidis curandæ ſcopo auertit, vt pro diuerſa cauſæ morbum efficientis ratione & eius qualitate, particularem quoque curationem tradamus: exordientes ab ea quæ humoris pituitoſi & intemperiei frigidæ ſoboles exiſtit, omnia ſuis locis appoſitè demon-

ſtrantes, nihil etiam quod videri poſsit minimum prætermiſſuri, quò facilius cuique ſit iudicare, quid in hac vulgari & tot ſeculis celebrata curandi arte reprehendi poſsit, aut melius vel magis appoſitè præſcribi ab hoc nouo tartareo medicorum genere.

Arthritidis à cauſa frigida curatio.

Victus ratio. PRæſcripta victus ratione congrua, & morbo eiuſque cauſis contraria, vt ſuprà demonſtratum eſt: ſi aluus ſuppreſſa fuerit, poterit emollienti enemate ſollicitari. Ac *Vomitus* tum demum citari vomitus ad reuulſionem, maximè in pituitoſa Arthritide, modò omnia conſentiant: ídque à cibo. Deinde ſi venę *Venæ ſectio.* ſectio ſit idonea, omnibus perſpectis rebus hanc aggrediemur. Mittatur verò ſanguis ex parte magis

con-

congrua, & ad reuellendum & ad euacuandũ pro viriũ, ætatis, tẽperamenti, tẽporis, regionis atque consuetudinis ratione. Postea parandus humor serapiis, decoctis, infusionibus atque dilutis, quæ cum calida esse debeant, adstrictionis quoque participia esse oportet: vt ex syrupis stœchad. confect. acori, melle rosato colato, & aquis iuæ arthriticæ, betonicæ, saluiæ, meliss. dulcoratis puluer. nucis moschatę, aut pulu. alicuius electuarii ad id accõmodati, quod non ingrediatur moschus, vt quod caput nimiũ repleat & fluxiones augeat. Diarrhod. abb. vtiliter addi & cõmodè præscribi potest, quòd aperiat & obstructiones hepatis tollat. Diamargaritõ etiã frigidũ, quãuis nomẽ frigiditatis præ se ferat, vires tamen cordis & calorẽ naturalẽ con

Gale. de curand. rat. per venæ sectionem & 2. ad. Glauconem.

Humores præparãtia

ſeruat adſtrictioniſq; eſt particeps: ob id fluxiones non mouet.

Purgantia medicamenta quietis tempore ſunt adhibẽda. Nam aliis temporibus humores agitarent, adeóque redderent magis fluxiles, vt ſunt pilullæ aſſaięret, de quinque generibus myrabolanorum, de hermodactylis, pilullæ Arabicę, & iuæ arthriticę: ex quibus drach. i. cũ melle roſato, vel cum alio ſyrupo conuenienti tutò ſumi poteſt circa mediam noctem, obſeruata victus lege. Vel earum loco catholic. aut diaphœni. conueniens quantitas in forma boli: vel eadem diſſoluta in aquis iuæ arthriticæ, betonicæ, aut aliis ſuprà commemoratis, mane horis quatuor ante cibum. Aut decoctum parari poteſt ex glycyrrhiza, paſſul. ſem. aniſi, fœniculi, floribus cordialibus, roriſm. ſtœchad.

ſaluię

ſaluię in cuius ſufficienti quãtitate: Agaricus recens trochiſcatus, rhabarbarum in aqua betonicæ diligenter maceratum atque expreſſum, aut aqua iuæ arthriticę irroratum diſſolui poterunt, addito ſyrupo roſa. laxa. aut melle roſa. vel ſyrupo ſtœchad. ex quibus omnibus potus confici poterit, ęgro in aurora propinãdus, & ſequenti die bolus ex conſeruis florum roriſm. roſarum & theriacę mediocris vetuſtatis degluttiendus.

Ad ſedandum dolorẽ topica adhibeantur remedia, quę repellant & humorũ impetum inhibeant, qualia fuerint quę ſequuntur:

Recip. corticis vlmi p.j. caudæ equi, vſneæ, ſtœcad. añ. m. ſ. ſandar. arabum, maſtich. thur. añ. vnc. ſ. alumi. drach. iij. feruefiant in æquis partibus vini ſtyptici, & aquæ chalybeatæ, atque hac decoctione tepida intincti panni identidem imponan-

Fomentum. vasis fluxionnm mittentibus, vel paretur sequens.

Recip. galangæ, nucum cupressi, thuris, nucis mosch. terræ sigill. bistor. añ. drac. ij. pulu. masti. drach. j. ſ. olei myrtini vnc. iiij. ceræ parum: fiat cum pistillo calido cerotum, quod super alutam extensum iteratis aliquot vicibus superimponatur vasis fluxionem mittentibus. *Cerotũ.*

Si dolores adeò sęuiant, vt vires etiamnum deiiciant, vti possumus his catapotiis, idque in accesſionib.

Pilullæ in vehementi dolore deglutiendæ. Recip. styra. liquidæ, myrrhæ añ. drach. j. liba. veri corti. thuris añ scrup. iiij. castor. croci añ drach. ſ. succi glycyrr. drach. j. opij thebaici scrup. ij. cum succo cõsolid. maior. & iuæ arthrit. fiat massa: ex cuius drach. ſ. vel scrup. ij. cõcinnentur pilullæ iij. quas media nocte, & quotiescunque necesſitas vrgere videbitur, ægrotus deglutiet.

Extrinsecus verò adhiberi poterit eiusmodi paregoricum.

Recip. olei cham vnc. iiij. olei lun br. vnc. ij. misceantur, & calidè demulceatur locus. Interdum iisdem oleis axungi galli. vel humanæ miscebis ad vnc. j. vel duas: vel *Anodynum.*

ex vn-

ex vnguento resumptiuo inungi poterit locus dolore affectus.

Aut cataplasma ex mica panis macerati in lacte muliebri, ouillo, vel caprino, vel hydromelite, aut oxycrato, additis ouorum aliquot vitellis, modico croci atque butyri recentis sufficienti quantitate, confici poterit & supra adhiberi. *Cataplasma.*

Lithargyrum cum vrina pueri in mortario agitatum, & ad formam vnguenti redactum, partibus affectis plurimùm commodabit: itemque *Vnguentum.*

Raparum minutim concisarum sufficiens quantitas in lacte vaccinō coctarum, ac cataplasmatis instar supra locū applicatarum, per quàm conueniens sedandis doloribus. Ex iisdem etiam supra prunas iniectis suffitus ad partes dolore tentatas vtilissimus: vt & sequens: *Cataplasma* *Suffitu*

Stercus vaccinum recens collectum affectis articulis calidè adhibitum, dolorem sedat & resoluit.

Tandem massa emplastri resoluens, & ex alto trahēs circa finem Arthritidis præscribenda.

Emplastrum. Recip. massę emplastri diachylo. ireati vnc. ij. massæ emplastri de meliloto vnc. j. ſ. pulueris rad. enulę campa. vnc. ſ. cum oleo de lilio permisceantur, & fiat massa, ex qua fiant emplastra, magnitudini partis affectæ æqualia, calidè vel tepidè admouenda, pro ratione partis & aeris ambientis qualitate. Ne verò supercalefacta vesicas excitent ampliores, identidem tollantur & admoueantur.

Lixiuiū quoque sequens circa finem adhibendum, quod siccat & absumit, abstergit & roborat.

Fotus. Recip. cineris cort. fabarū, ilicis, oleastri an. vnc. iiij. pulueris corticis thuris vnc. j. decoque in aqua, & ea tepidè articuli affecti lauentur, ex spongia molli vel filtro.

Cataplasma. Idem præstat cataplasma ex farina fabarum & axungia porci, ex Gale. lib. 7. simplic. medicament.

Ad

Ad roborandas neruosas partes, cerebrum aliáque viscera circa declinationẽ assumetur drach. i. plus vel minus theriaces mediocris ætatis: vel tessella vna electu. diamoschi dulcis, ídque noctu tantùm, quia hac diei parte potissimùm pituita mouetur, lõgè à tenui cœna. Hæc enim medicamenta siccant & absumunt reliquam fluxionis materiam, ac simul etiam non mediocriter roborant.

Curatio methodica tempore quietis in Arthritide frigida.

VIctus primò præscribatur affectui contrarius, deinde vere & autumno præmisso enemate conuenienti, mittatur sanguis, si vires & cætera consentiant, vt monuit Hippocrates: vomitus posteà *Aphor. sect. 6.*

ciendus, potiſsimùm ſi æger ad vomendum paratus ſit, vt antea definitum eſt. Loco enematis ſi commodiùs videbitur, materiam minueſ eccoprotico medicamento per os aſſumpto, ex catholic. vnc. ſ. diaphœnici drachm. ii. cum ſaccharo in forma boli vel iiſdem diſſolutis cum aquis ſaluiæ, maiora arthriticæ, ſaluiæ, betonicæ, vel ſimilibus propinatis: deinde ſecta vena, vt dictũ eſt, hæmorrhoides citare, ſi res poſtulet, vel menſes in mulieribus prouocare non inutile erit.

Minorans medicamentum.

Poſtea humorem peccantem decocto apparare, quod è cerebro trahat, ſiccet, & digerat cũ aliqua adſtrictione ac ſimul etiam purget.

Recip. glycyrrhizæ raſæ & parum contuſæ, vnc. j. ſ. calami aromat. rad. acori vulga.

(nam

(nam cum caliditate aliquid adstrictionis habent) an̄ vnc. j. betonicæ, saluiæ, primulæ veris, chamæd. chamæpit. an̄. m̄. j. s. vtriusque adianti. borrag. buglos. cum rad. cichorij an̄. m̄. j. seminum anisi fœniculi, an̄. drach. ij. hord. mūdati. p. j. prunorum dulc. passul. expurgatarum an̄. paria xij. polypod. querni recentis, myrobal. chebulo. medulæ semin. carta. an̄. vnc. s. foliorum sennæ mundatorū drach. v. agarici recens trochis. drach. ij. hermodactyl. drac. iij. florū saluię, stœchad. rorismar. an̄. p. j. s. trium florū commun. an̄. p. j. fiat decoctio: in lib. j. s. dissolue saccha. q. s. clarificetur & dulcoretur pulu. nucis moschatæ & diamoschi dulcis an̄. drach. j. additis syrup. capillo. Vene. & mellis rosa. cola. an̄. vnc. iij. fiant quatuor vel quinque doses. *Apozema.*

Hæc eadem si diutius coxeris saccharúmque addideris magistralem parabis syrupum, qui diutius conseruari poterit, atque vt purgare possit efficacius, augebis purgãtia, additis sub finem decocti rhabar. electi in panno raro ligati & bene expressi vnc. s. spicæ nardi

scrup. i. & aliquot syrupis conuenientibus. Tandem probe concocto humore catharticum medicamentum ad ægrotantis arbitrium hac vel illa forma concinnabitur:

Pilulla. Recip. pilullarum de hermodact. de agaric. & quinque generibus myrobal. añ. scrup. j. cum aquis conuenientib. fiant pilullæ quinque) quas deglutiet æger post primũ somnum. Eas efficaciores reddés additis duobus vel tribus granis trochiscorũ alandahal. Ilarũ verò loco bolus confici poterit ex Catholici vnc. ß. benedict. lax. & diaphœn. añ. drach. ij. vel fiat potio ex iisdem dissolutis in aquis supra commemoratis. Vel quæ sequitur:

Potio purgãs. Recip. agarici recens trochis. & infusi in aqua betonicæ & expressi scrup. iiij. rhabarb. optimi in aqua cichor. & pauco vino albo infusi & expressi drach. j. ß. cinnamomi eodem modo præparati gran. iiij. diaphœnici drach. ij. syrup. ros. solut. vnc. j. ß. syrup. de stœchad. vnc. ß. cum decocto communi medicinarum potio fiat manè sumenda.

Quidam in hac Arthritidis specie ægros purgare solent electuario diaturpeto ex rhabarbaro Mõtagnanæ, potissimum vbi pi

tuitæ

tuitæ flaua bilis permixta est. Nonnulli autem caryocostino.

Ego vero sequenti confectione haud ingrata sæpe vsus sum, cum multorum ęgrotantium comodo:

Recip. succi cytoniorum lb. iiij. mellis despumati lb. ij. coquantur ad debitam cõsistentiam. caryophyllorum, diacytonites drach. iij. mastiches, piperis longi, cinnamomi, nucis moschatæ añ. drachm. ij. hermodactylorum vnc. ſ. turbith. vnc. j. ſ. dacrydij drach. iij. puluerizentur, & cum melle optimè cocto misceantur, & ad formam diacytonites reducantur. Huius dosis est ab vnc. ſ. ad drach. vj.

Sequenti mane aut Theriacam optime dispensatam, aut bolum ex conseruis betonicæ, saluię, rorisma. aut similibus capiet.

Post hanc vniuersalem purgationem vti possumus suffumigiis ad materiam in articulis impactã digerendam.

Recip. hermod. calami arom. galangæ crassæ añ. drach. iij. iuæ arthriti. florũ stœchados añ. drach. ij. castorei drach. j. ligni a-

loes. ſcrup. ij. redigantur in puluerem, & cum ladano remollito aquæ betonicæ & terebinth. añ q. ſ. fiant trochiſci, qui prunis iniiciantur ad ſuffitum pro articulis affectis.

Balnea. Neque verò erit inutilis balneorum naturalium vſus, qualia ſunt ſulphurea, bituminoſa & cætera, aut ſimilium arte paratorum.

Aeſtuarium ſiccum. Laconicum etiam ceu æſtuariũ ſiccum poteſt parari, ſi lapidibus ignitis inſpergatur decoctum ex ſaluia, lauendula, chamædry chamæpi. rorem. ſtœchad. bacc. lauri cum vino, & in æſtuario irrigentur articuli aqua vitæ, vel illinantur axungia humana aut vrſina: hæc enim materiam impactam diſcutiunt; vel vnguento ſequenti.

Vnguentum. Recip. vermium terreſtrium in vino albo ablutorum, limacum nigrarum añ q. ſ. bulliant in oleo oliuarum vſque ad debitam coctionem: addendo herbæ paralyſis, florum & foliorum ebuli, ſaluiæ & artemiſiæ añ m̃. j. Omnibus optimè coctis, atque

con-

contusis, addantur axungiæ vrsi, medullæ cerui, medullæ cruris bouis, & terebinthinæ añ vnc.ij. fiat vnguentum quo vngantur articuli calidè.

Cerebrum interim sequentem in modum non fuerit inutile aliquoties purgare.

Recip. massæ pilullarum assaiaret & agarici recens trochis. añ drach.j.s. rhabarb. optimi drach.s. trochisco. alādahal. seru. j. Cum aqua beton. & iuæ arthriticæ, fiat massa, ex cuius drach.j. pilullę fiant quinque, quas capiat interdum dum non vtetur syrupo magistrali suprascripto. *Pilullæ ad vsum*

Cerebrum quoque ita siccetur & roboretur.

Recip. pulueris diamoschi dulc. pulueris diambrę añ drach.j s. pulueris diarrhod. abba. drac.j. pulueris diamarg. frigid. drac. s. sacchari dissoluti in aqua betonicę & iuæ arthrit. añ.q.s. Misce: fiat electua. solidum in tessellas ponderantes drach. iij. ex quibus vnā sumat singulis diebus mane. Aut eius loco: *Elect. cordiale*

Recip. cōseruæ flor. rorism. stœchad. radic. acori añ. vnc. s. conseruæ, florum buglos. vnc. j. pulueris diamoschi. dulc. & diarrhod. abb. añ drachm.j. cum syrup. con- *Opiata*

sect. acori & corti. citri añ partibus ęqualibus. fiat opiata; cuius dosis sit, ad instar nucis auellanæ alternis diebus, superbibendo parum aquę betonicę. Opiatę loco theriaces antiquę & probatę, ac hyeme præsertim, vsus saluberrimus erit.

Capiti etiam puluis apponi debet ad roborandum, & fluxiones sistendum.

Sinapismus. Recip. granorum tincto. cortic. citri sicci. nigellæ Roma. parum torrefactæ, coriandri præparati añ drach. ij. nucis mosch. caryophil. añ drach. j. santali citrini & rosarum rub. añ. scrup. ij. redigantur in tenuissimum puluerem, ex quo sinapizetur anterior pars capitis.

Arthritidis calidæ curatio.

EX signis suprà designatis calidam Arthritidem deprehendere facile erit. Quare vrgente dolore præscribéda victus ratio morbo contraria, modicè attenuans, & magis incrassans, propter bilem & sanguinem tenuem. Vinum penitus interdicendum, nisi ex acerbita-

Qualis victus ratio.

bitate doloris vires conciderent. Fugiendi verò sudores: grauiter enim peccant, qui diuretica præscribunt qualiacunque. Aut diætas ex ligno sancto imperat, vel spiritum (vt aiũt) vitrioli propinant, vt quę emaciando humidum innatũ absumunt. In hac Arthritidis specie parari possunt clysteres emollientes, lenientes, & modicè refrigerãtes: non acres, aut multum purgantes, vel mouentes, propter bilem quæ nimium ad fluendum irritaretur. Vomitus necessarius in natura aptis ad vomendum. Venæ sectio commoda, si fiat à sanguine morbus, ad reuellendum, nisi alia dissuadeant. Ex opposito verò latere secanda vena, nisi vtrumque latus affectum fuerit: tunc enim venam ex vtroque latere secare non abs re fuerit. Si dolor sit ingens ac

Clysteres.

Vomitus.

Venæ sectio.

M.

valde excruciet, ad eum illicò sedā dum est quod nos conuertamur. Ad id erit accōmodata potio quæ simul & semel somnum conciliet, refrigeret & humectet. Humores enim tenues incrassari ac inhiberi postulant.

Somniferum. Recip. syrupi de papau. syrup. viola. añ vnc. j. pulu. diamarg. frig. drach. j. aquarum lactu. & vio. q. s. misceantur. Sumat ægrotus dormiturus longè præcedente tenui cœna.

In iusculis quoque parentur nodulì ex seminibus papau. albi. lactucæ & similibus pro more.

Interdum conferet potionis loco, sumere confectionem Philonii Rom. fideliter aliquot ante mēses dispēsati, nam recens nimium stupefaceret. Neque verò negligenda topica, si idipsum doloris vehementia poscere videatur.

Cataplasma. Recip. mucilag. seminis psyllij extractæ, cū aceto rosa. vnc. ij. panis macerati in lacte

mu-

mulieris vel capræ lb. ſ. vitell. ouorum duos, omnia miſceantur & agitentur ſimul. Poſtea adde croci drach. ſ. opij thebaici drach. j. miſce, fiat in modum cataplaſmatis, frigidè vel certè tepidè articulis adhibeatur. Vel

Recip. capitum papau. albi & hordei añ p. j. ſ. ſeminis hyoſcyami albi drach. j. conquaſſentur, & in duabus aquæ libris ferueſiant ad medietatis conſumptionem. deinde colentur & in vnc. viij adde mucilag. ſeminis pſyllij, lini & fœnugræci cum aceto roſat. extractæ añ. vnc. iij. albumina ouorum duo. olei roſa. vnc. iiij. Omnia ſimul agitata in modum linimenti, applicentur articulis aut paulo ſuprà eos. Vel *Linimentũ.*

Reci. vngu. populeo. vnc. ij. oui vitellũ vnũ, opij drac. ſ. croci ſcrup. j. miſceantur ſimul, & inũgatur locus dolẽs. Quod plurimum prodeſt: quemadmodum radices hyoſcyami cum oleo chamæm. contuſæ vehementiori dolori ſuccurrunt. *Vnguentum.*

Reliqua peragẽda ſunt eodem modo, vt dictum eſt in Arthritide frigida, ac per eadem medicamenta ſtyptica, quæ vaſis impoſita fluxionem repellant. Vel

Cataplaſma. Recip. rhois obſoniorum, foliorum & baccarum myrt. boli Armenæ añ. vnc. ſ. ſantalorum omnium, acacię, gall. balau. añ. drachm. j. farinæ lentium, corti. hordei. añ. vnc. ij. olei roſa. & ſucci plantag. añ. vnc. iij. Ex quibus fiat cataplaſma, quod apponatur ſiſtendæ fluxioni.

Quia nec diu nec ſemper ſtupefacientibus vti par eſt, quod eſt imperitis in more poſitum, viciſſim ad lenientia & paregorica trãſire fuerit operæpretium.

Linctus Recip. caſsiæ recenter extractæ (ſi magnus ardor adſit) cum aqua violarum q. ſ. illinantur articuli. Idem præſtat amurca olei tepidè ſuperimpoſita.

Quòd ſi calidior fuerit morbifica materia

Cataplaſma. Recip. mucag. ſeminis pſyllij extract. cum aqua roſa. vnc. iiij. farinæ ſeminis lini vnc. ij. cum ſucco ſolani & plantag. redu cantur in formam cataplaſmatis. Vel

Vnguentum. Recip. ceruſ. cum aqua viol. lotæ. lithargyri añ vnc. j. ſucci foliorum ſalicis vnc. ij. olei roſa. vnc. iiij. croci ſcrup. j. cum modico ceræ candidę, fiat vnguentum ad eundem vſum.

Ne

Ne in paroxyſmo ob nimium ęſtum ſitis moleſtet, atque adeò vires proſternantur, Serapium roborans, & ſitim ſedãs præſcribemus. vt

Recip. ſyrupi violar. de endiuia ſimpl. oxyſacc. ſimpl. añ. vnc. ij. aquę portulac. aceto viol. añ. vnc. iij. pulu. diamarg. frig. & triaſant. añ. drach. j. fiat iulep. limpidum, & percolatum, quo vtatur extra cibos.

Arthritidis calidæ curatio quietis tempore.

TEmpore quietis, ad pręcautionẽ laborãtes Arthritide ſunt purgandi vere & autumno vti ſuprà diximus ex Hippoc. Rationẽ purgandi habebis ex his quæ authores abundè tradiderunt, & inter cæteros Galenus libro Quos quibus & quando purgare conueniat. Venam ſecabis, ſi deſideret affectus, hæmorrhoidas concitabis, vel menſes, vt ſuprà, in mulierib.

prouocabis. Primùm igitur apparabitur humor tali decocto refrigerante mitigante & incrassante.

Recip. glycyrrhizæ rasæ parũ contusæ vnc. ij. bugl. cum rad. cichor. end. aceto. portula. lenticulæ aquę añ. m̃. j. seminis. end. portula. añ drach. iij. seminũ lactu. & papaue. albi (si ingens sit doloris cruciatus ab humore calido, tenui & multùm fluẽte) añ drach. ij. prunorum dulcium, passularum mundatarum. iuiubarum, & sebestem añ. paria xij. trium florũ cordia. añ. p. j. decoquantur in aqua hordei mediocriter cocti, atque in lb. j. ſ. dissolue sacchari albiss. q. ſ. clarificetur & aroma. puluer. diamarg. frigid. & triasanta. añ. scrup. iiij. syrup. viol. vnc. v. fiant quinque doses.

Sic apparatus humor purgabitur casia recens extracta in aqua violarum in forma boli. Vel

Recip. decocti communis med. addendo myrobal. citrin. drach. j. ſ. tamarind. ync. ſ. in colat. dissolue casiæ recenter extractę drac. vj. syrup. rosat. solut. & viol. añ. vnc. j. ex his fiat potio sumenda in diei crepusculo. & (vt moris est) sumẽdus erit bolus altero die ex conseruis rosa. bugl. & viol.

Ita

Ita purgato corpore balneũ aquæ dulcis tepidum erit perutile. Maximè vero in biliosis temperaturis, quòd corporis habitum leniat resoluat, acres vapores & bilis feruorem cõtemperet. Eodem modo & sequens emplastrum inclinante morbo.

Recip. mass. emplast. de fœnugr. ex descrip. Auicen. vnc. iiij. ferueſiat in aqua & aceto. facta tandem longa ebullitione misceatur tantundem mellis, & iterum ferueſiat, vt consistentiam emplast. acquirat ex qua fiant empl. debitæ magnitudinis articulis imponenda. Vel

Recip. medullæ casſiæ fistul. cum melle incorporat. vnc. iiij. pulu. hermodact. drac. tres, misceantur in modum cataplasm.

Roborandæ verò partes principes & viscera eorum qui Arthriti de calida laborant, sequenti mixtura.

Recip. carnium cydoniorum saccaro condit. conser. rosa. antiq. añ. vnc. j. coralli rubri & loti cum aqua rosa. drachm. ij. ras. eboris. drach. j. s. margarit. splendid.

ʒ.j. mastic. scrup.ij. sacchari q.s. fiat mixtura: de qua sumat cochlear.j. statim à cibo, nihil superbibendo.

Ad articulos firmandos erit salubberrimum post purgationes vniuersales tempore vindemiarũ vasi musto pleno adhúcq; feruenti eos immergere, in eóque aliquãtisper immorari.

Ad antiquos verò articulorum dolores tumore concitatos efficacissima sunt & sæpe à nobis experta.

Rutæ syluest. folia frixa in sartagine cum oleo vel butyro calidè loco dolenti apposita.

Semen, & folia vrticæ cum adipe vrsi innũcta.

Oleum in quo vulpes viua imposita tantisper bulliat donec caro colliquetur.

Stercus caprinum cum farina hordei & aceto ad formam cataplasmatis redactum.

Radix altheæ cocta, & cum adipe anatis commixta.

Oleum in quo radices Enulæ bis vel ter permutatæ ebullierint.

Rapa in iure pingui bene cocta.

Sacculus sale contritus plenus, in vino feruente madefactus & appositus.

Sal contritus in oleo chamęm. ad linimenti formam redactus.

Stercus bubulum recens modo cataplas. applicatum vel cum oleo irino calefactum.

Lotium in quo sal & medius sambuci cortex ebullierint.

Chamepiteos pugillus in vino coctus & admotus.

Ex his & aliis similibus varię medicamentorum formæ parari possunt ad demulcendos ac tollēdos antiquos articulorū dolores: & ea quę sequūtur ad id plurimū valēt.

Rec. duo capita veruecina cum duobus eorundem omasis: simul decoquātur ad perfectionem, in alio vero cacabo decoquatur congeries formicarū. & vtraque bulliant ad medietatis consumptionem, quæ refrigerata colentur paulatim vt partes supernatātes tantummodo colo traiiciantur. Deinde misceātur eiuscemodi decoctiones ad vsum sequentem seruandæ. calefiant lapides durissimi & silices, & in decoct. prędictas immittātur, quo fumus excipiatur circa membra dolentia, pannis circuntecta, idque mane & vesperi per aliquod temporis spatiū, fricando partes eiuscemodi dolentes. Deinde

Recip. lumbricor. terrestr. ablutorū in vino albo q. s. aq. vitæ, olei chamæm. aā vnc. ij. olei

de ſpica vnc.j.miſceantur,& per v.dies cliba no incluſa maneant,tandem piſtentur, colo tranſmittantur, quibus addãtur axungiæ taſſi vnc.ij. axung.humanæ vnc.iij.axung.ſerpentis,ſeui ceruini,& axung. vrſi, añ. vnc.j. ceræ citrinæ.vnc.iiij.mixtis omnibus fiat vnguent.ad illinendos calidè articulos. Item,

Recip.olei petrol. olei de ſpica, olei terebinth. olei lauri añ.vnc.j.olei lumbricor.chamęm. olei vulpi.olei amygdal.amara.& aquæ vitę añ.vnc.ij.butyri veteris & ſaliti lb.j. olei nucum vnc.iiij. butyrũ liquetur cum oleo nucum in vaſe nouo vitreato. deinde reliqua olea ſimul miſceantur. æger liniatur tempore quietis pręmiſſa vniuerſali purgatione.

Sequens etiam ſæpenumerò experti ſumus.

Vulpem integrã excoriatam & fruſtratim inciſam alãbico plumbeo incluſam cum olei rutæ,lumbricorum,chamæm.añ.vnc.ij. aquæ vitæ quart.j.diſtillato,& ex ea aqua illiniantur articuli.

Ad antiquos & inueteratos articulorum dolores ex lue venerea ſequens efficaciſsimum.

Recip. pyrethri,ſtaphidoſagriæ, euphorbij añ. drach.iij nucis ind.vnc.ſ.cardamomi & ſeminis hyoſcyami añ vnc.j.fugitiui vnc.iiij.axũgiæ porci non ſalitæ neque liquefactæ lb.j.

olei

olei de castor. lumbricor. & terebinth. añ vnc.j.ſ.olei de ſpica & laur. añ vnc. ij. fiat vnguent. quo vngantur articuli: ſi modò præceſſerit vniuerſalis purgatio, & diæta ex ligno ſancto aliquot diebus continuata.

Sequens etiam in hac eadem ſpecie Arthritidis plurimùm prodeſt.

Recip. maſſæ emplaſt. de ranis lb.ſ. euphorbij drach j. argen. viui vnc.ij. cum modico cerę & terebinth. malaxentur cum oleo rutæ & aqua vitæ ad formam cerati, quòd partibus nodoſis applicetur. Horũ loco aqua hac forma ſubſtitui poteſt efficaciſsima: maximè ſi membra admodum ſint refrigerata, partéſque nodoſę: toti verò ſpinę & partibus extremis adhiberi commodè poterit facta, vt ſuprà, vniuerſali purgatione ac, ſtragulis benè velandus & contegendus æger, vt ſudoribus copioſis, qui in hac tãtùm ſpecie ſunt promouẽdi, pro virium robore, ad v. vel vj. interualla, vt humor ille craſſus neruis impactus digeri poſsit, quin & eadem aqua aſſumi poteſt ad vnc.iiij. vel v. manę tribus horis ante cibum.

Recip. orig. calament. pulegij, ſiſymbr. centau. mino, beto. herbę paraly. iuę arthrit. ſampſuchi añ. m̃.j. ſucci ebuli, ſucci medianæ corticis ſambuci añ. vnc.iiij. rad. acori. vnc.iij. flo

vnc.j.euphorb.cast.añ vnc.j,s.sagapeni,opo panacis,ammo.galba.dissol.cũ aqua vitæ añ vnc. ij. styracis calamitæ, ladani depurati, belzuini añ drach.x. terebinth. resinæ pini añ vnc.iij. Temperentur omnia simul in aqua vitæ optimè distillatæ spatio diei naturalis.Post distil. omnia vt artis est in alembico vitreo.seruetur vsibus ante memoratis.

Admota tamen magis vtilis quá assumpta,nisi in robustis. Quòd si etiam in imbecillioribus tentare visum fuerit,vnc. ii. vel iii. propinasse satis superque fuerit. Sed quia instituti nostri non est integram huiusce Arthritidis ex lue venerea oriundę curationem tradere:propterea quòd necesse esset eius, à quo pendet morbus tractationẽ etiam inserere. Si quis plura desideret, authores adeat, qui hac de re plura ex professo scripserũt. Nos verò,quibus satis est ea demõstrare quæ de vera arthritide dici possunt, iis contenti simus si coro-

nidis loco ea annotauerimus quæ in extremis dolorib. solemus adhibere.

Recip. seminis hyoscyami, papau. albi & nigri añ. drach. ij. opij thebaici drach. ſ. olei papa. & vnguenti popul. añ. vnc. ij. ceræ albæ q. ſ. in forma vnguenti applicetur tantùm loco dolenti. *Vnguentum.*

Hæc ad veram rectámque Arthritidis curandę methodum medicinę candidatis ac veritatem cōlentibus satisfacere arbitror. Etenim etsi Paracelsistis displicere certò scio, mihi tamen satis fuerit arti meæ, hanc meam præstitisse operam, ac pro verò Hippocratis iureiurando, veritatéque ipsa, cui omnino incumbendum est, ste-

AD TVSSANVM DVCRETVM DE SVO ARthitidis libello

EPIGRAMMA.

Vlla non posse Arthritim curarier arte,
Vulgus ait, medicorum. At tu Ducrete repelli
Posse doces: artis pandens arcana parentum:
Legitimámque viam tradis, methodúmq; medendi.
Huc ergo properet quisquis depellere morbum
Artubus infestum cupiet cum laude, procúlque
Amandet Paracelsistas, gentémque proteruam,
Mentes quæ stolidas auri sub imagine fallit.

P. Meillerii.

IN LIBRVM T. DVCRETI de Arthritide.

DISTICHON.

Dum multis prodest Ducretus seria tractans
Vendere nec fumos, nec dare verba docet.

M. Bucheri.

INDEX RERUM IN HOC libro contentorum.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

In Hexaſtico D. M. ſic reſtitue verſum penultimum, Diuerſis ita fert ſolatia plurima morbis. Pag. 50. lin. 5. *at potius* 54. 7. *ne calfaciendo* 93. 7. *referre poſsis?* 94. 4. *imò & ipſi* 106. 2. *quiddam* ibid. 5. *audet: abſurdum* 126. 11. *inſidiãtur alijs,* 146. 2. *anguſtioribus*